










ΛΙΘΟΘΕΩΡΙΚΟΣ,

SIVE,

NIHIL, ALIQVID, OMNIA,

ANTIQVORVM SAPIENTVM VI-

vis coloribus depicta, Philo-
sophico-theologicè,

In gratiam eorum qui Artem auriferam
Physico-chymicè & piè profitentur.

AVTHORE

IOHANNE THORNBVRGH, EPISCOPO
VVIGORNIENSI.

PSAL. 12.

Eloquia Domini, Eloquia pura, sicut probatum argentum, septies in igne repurgatum.

PSAL. 92.

Vir insipiens non cognoscit, & stultus non intelligit hæc.

OXONIÆ,
Excudebant IOHANNES LICHFIELD &
IACOBVS SHORT, 1621.



NOBILISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE HEROI,

LODOVICO, Duci Lenoxiæ, Comiti de Richmond, Darnley, Baroni de Setrington, Torbant, Methven, Summo Scotiæ Camerario & Thalassiarchæ, Aureę Periscelidis Equiti, & Potentissimo Magnæ Britanniæ Regi IACOBO, à Sacris Consilijs, perpetuam in Christo felicitatem.



QVI animam mediam naturam, tanquam Hierusalem in medio Nationum totius mundi gloriam, ipsam deniq; rerum virtutem in medio consistentem non nouit, de Philosophorum lapide non scribat. Hic enim lapis, secretum est Naturæ, Sol, ipsam penetrans terram, Lux in tenebris relucens, & rerum omnium, etiam putrefactarum, vita. Sol & homo generant hominem: Sol & Rebis generan-

nerant lapidem Sol in Philoſophorum cœlo, ſolis eſt Cor in eorum compoſito. A ſole, igniculi & radij, In corde, virtus & vita. Hinc Animalium, vegetabilium, & mineralium procreatio, propagatio, & multiplicatio ſecundùm naturam. Da veniam (Dux Illuſtriſſime) vt ſub Tuo patrocinio ante ſolis mei occaſum, ad Philoſophorum ſolem, penè inacceſsibilem accedere, & eius lucem clariſsimam aliis conſpiciendam efficere, & offerre poſsim. Quare apud me ſtatui Philoſophorum *Nihil, Aliquid, Omnia* ad vivum depingere. Perluſtratis enim priùs Philoſophorum ad vnguem, ſcriptis, inveni tandem eorum lucem in tenebris habitantem, eorum ſcilicet, lapidē, cortice ſuo delitescentem, & carcere incluſum, ſatis ſtrenuè contendentem, vt è cauernis ſuis tandem prodire, imò in lucem poſsit prorumpere. Splendida autem, & illuſtris virtus veſtra hominibus tam ſummi, quàm infimi gradus, lumine clariſsimo, quaſi lucidiſsimo ſpeculo, virtutem planè vitalem exemplariter infundens, ſuo quaſi iure

ven-


vendicat,vt ſi quid de Sole, de luce, de rerum vita, & vivifico earum calore ſcribatur, Tibi ſoli dicetur. Etenim cum Philoſophorum lapis nihil aliud ſit, quàm lux, & rerum vita, actus ſcilicet ſimplex, cuncta permeans entia, & ad ſe cuncta calore vivifico convertens, nihil magis expetendum cenſeo, quàm vt lucem illam, & ignea illius ſpiracula tam ad metalla tranſmutanda, & ad eorum fugandas tenebras, quàm ad conſeruandam humanæ vitæ ſanitatem, luculenter faciam apparere. Lux autem illa in ſolo Solis tabernaculo, tanquam in domicilio ſuo quærenda eſt. Nam in Solis tabernaculo, Solis eſt Sol, & eius intimi radij ſunt in eo, & in eo refulgent. Quare in primo ingreſſu ad aperiendum ſerenum ſinceri lapidis Philoſophici fontem, vt inde rivuli ſapientiæ naturalis exundent, optimam duxi incipiendi rationem, à vero lapide angulari & precioſiſsimo præpotentis dei filio, humani generis redemptore, luce illa clariſsima, illuminante omnes ſuos, qui ſunt in mundo, Domino meo Chriſto Ieſu,

quem precibus aſsiduis humillimè rogo, & rogabo ſemper, vt in lumine ejus videam lumen, illuminans, & hæc ſcripta mea irradians ad cognitionem & ſalutem. Et vt illuſtriſsimus Dux Lenoxiæ, in terris virtutis laude, vt ſtella matutina, longævus luceat: Atq; vt, vinculis hujus vitæ diſſolutis, anima ejus ad beatificam illam in cœlis lucem, & in beatam ſanctorum libertatem, maturè aſſeratur.

Amplitudini veſtræ

addictiſſimus.

JO. WIGORN.



Ad Lectorem benevolum.



QVi in Abyſſum deſcendunt, mirabilia dei vident. Abyſſus autem eſt terræ, ſicut & aquæ. Atq; terræ abyſſus aquam continet, plenam divitiarum domini. Quarè dixerunt Philoſophi, eorum lapidem in teſtudine latere. Quod res eſt loquor, & meretricias orationis veneres minimè aucupatus, humili ſcribendi genere fretus ſum, (idq; datâ induſtriâ) nè Rhetorem potiùs, quàm Philoſophum agerem, & nè veritatem nudam, artemq; per ſe minùs patentem, verborum involucris reconditam poſteritati relinquerem.

Ornari res ipſa negat; contenta doceri.

Nequè enim ornatam illam lectori exhibeo, ipſa res ſibi ipſi ſatis eſt ornamento. Inſtituti mei rationem & ordinem velim, vt qui legit, animadvertat. Impare numero gaudet deus. Quid ni & ego, humillimus dei mei ſervus? Deus triunus eſt, ſic & homo, creatura dei longè precioſiſſima & præſtantiſſima. Homo ad imaginem dei creatus eſt, & lapis Philoſophorum ad imaginem hominis factus eſt: vterq; corpore, ſpiritu, & animâ gaudet. Triplicis gradûs ſcala, ab infimo ad ſummum per media, totum conficiendi lapidis proceſſum, per Philoſophorum *Nihil*, *Aliquid*, & *Omnia* demonſtrat, pleniore, & planiore, quam antehàc, ſermone, explicata, & deſcripta. Perpende quæſo (lector benevole) quàm lubentiſſimè patior me in ſanctam illam, planèq; divinam meditationem rapi, nempe, quemadmodùm non ſolùm lapis ille Philoſophicus (cui apud illos tri-vno nomen eſt) ſed etiam vniverſæ mundi creatu-

ræ,

ræ, triplicitatis quosdam Charecteres in se gerunt, diuinâ Omnipotentis dei manu illis luculentèr impressos, ad exprimendam trinitatem sacrosanctam in vnitate, & vnitatem in trinitate, & ad enarrandam Creatoris gloriam, sanctiquè illius nominis sempiternam laudem. Decet enim Episcopum philosophiam colere, tanquam pedissequam & ministram, ad magistram theologiam, sternentem, & aperientem viam, atq; ita vtriusq; manuductionem sequi, vt in vtrisq; deo fidelissimè inserviat, promtiúsq; demandato sibi officio, & munere defungatur. Itaq; philosophi multis argumentis adducti omnes in vniversum creaturas supra subterq; terram, in tria secantes genera, in Animalia, vegetabilia, & mineralia, atq; horum singula ex sale, sulphure, & mercurio consistere asserentes, vehementèr hinc, & strenuè contenderunt, omnibus testatum facere, ipsum deum (tanquam propriæ suæ sigillatæ terræ) manifestam notam, & triplex signum, scilicet, potentiæ, bonitatis, & maiestatis divinæ vnicuiq; creaturæ, & simplici vni naturæ, sed tanquam personæ triplici, in sale, sulphure, & mercurio, indidisse. Exploremus (si placet) plantas, & flores vegetante anima imbutos, crassam suam & materialem originem à terra ducentes. Annòn fundamentalem suam, & intimam corporietatem á sale? Nonnè tincturam á sulphure? suauitatem verò & odorem à mercurio mutuantur? Neq; enim quisquam literis, & philosophia tinctus, huic nostræ opinioni non astipuletur. Etenim tria hæc, licét arctissimè devincta, & veluti in vnũ corpus obsignata sint, & strictissimè conclusa, ad oculũ tamen divelli, secerni, discerniq; possunt. Quæ cùm á se invicem separata, & dissoluta fuerint, tùm vel stupido cuiq; & in philosophia noctuæ clarissimè apparet, philosophorum salem, sulphur, & mercurium, non esse (vt ignarum vulgus loquitur) somnioli, aut figmenti loco habenda. Quid ergo de tribus his dicemus? Sanè sapientiæ discipuli sublimioris cujusdã,

&

& maximè divini mysterij similitudinem præ se tulisse illa tria semper existimarûnt; præsertim cùm puriores partes ab omni terrena fæce abhorrentes, in vnitatem essentiæ puræ fuerint redactæ. Idem etiam de mineralibus, & quid ni de belluis perituris sentiendum? Præcipuè verò, & præ reliquis omnibus creaturis, Deus optimus, maximus, tri-vnus, infudit homini, tanquam operi suo nobilissimo, animam tri-vnam, non solùm vegetativā cum plantis, & sensitivam cum belluis communem, sed etiam intellectualem illam, quæ immortalis est, & nunquam peritura. Quarè ad effigiem, & Ideam maioris mundi, solum hominem exornavit Deus: imprimis veró corpore, quo elementorum & numerum, & naturam refert; tum facultatibus, vegetativa, qua plantas; sensitiva, qua belluas; intellectuali animæ claritate, qua ipsos spiritus, & translucidam illam cœlestem machinam; sublimitate etiam intellectus, mentis, rationis, & sapientiæ, qua intelligentias, & ipsos refert Angelos, vt latissimè pateat, sacrosanctam trinitatem in vnitate, & vnitatem in trinitate, quàm clarissimè, & ad vivum, præcipuè verò præ omnibus alijs creaturis per ipsum hominem repræsentari. Cuius rei gratiâ constitutus homo, corpore, spiritu, & anima, rectè intelligit (quod creaturæ reliquæ mutæ non intelligunt, licèt constent ex corpore, spiritu, & anima, quia intellectuali carent anima) decere, & debere hominem apud se semper dicere, cum beata illa virgine Maria, Magnificat anima mea dominum, & spiritus meus exultat in deo salvatore meo. Quarè autem Animæ imprimis mentionem facit? Certè, quia anima hominis præstantissima ipsius pars est, maximèque idonea ad designandam, & indigitandam sacrosanctæ trinitatis gloriam. Hanc enim animam humanam, omnes philosophi cum Aristotele in Topicis tripartitam faciunt, hoc est, triplici potentia, seu facultate vestitam, intellectu nempè ad cognoscendum, voluntate ad agnoscendum, & me-

moriâ ad recensendum mirabilia Creatoris opera. Anima tamen vniuscuiusq;, licét triplicem habeat facultatem, vna eademq; est, sicut deus in personis trinus, vnus tamen & idem semper deus est. Meditationem hanc aliquandò á me Anglicè conscriptam, per literas misi ad honoratissimam quandam dominam. Neq; enim gravetur pius lector, si eandem latinè legat. Non enim me pudet, & Anglicè, & latinè cum psalmista quotidie dicere, Anima mea Dominum laudato, omniaque, quæ in me intùs existunt, sanctum eius nomen laudibus efferant. Anima mea laudato dominum, mente, & intellectu tuo, & non sicut ij, qui dicunt, & non intelligunt: laudato dominum voluntate tua, hoc est (vt Psalmistæ verbis vtar) strenuè, bono animo, & erecto. Deniq; laudato dominum memoriâ tuâ, infinita ejus beneficia replicante, quæ ab inexhausto, & perenni divinæ benignitatis fonte, tanquam pleno amne, dimanarûnt. Sed nescio quo pacto, aut quibus technis infestissimus ille humani generis inimicus Diabolus fictam nobis, & fucatam trinitatis speciem semper obtrudit (in qua nullum reverá tri-unum homogeneum deprehenditur) Mundum nempe, carnem, & seipsum, omnis nequitiæ doctorem, à veritate seductorem, verum falsitatis authorem, impietatis omnigenæ patronum, quibus machinis molitur huiusce mundi miseros cosmopolitas in fraudem illicere, & à divina, veraq; trinitate abducere, atq; in ijs tenues illas imaginis divinæ reliquias abolere, omnesq; pietatis, & zeli flammulas extinguere. Deus autem bonus & misericors, qui trinus, & vnus existit, ad repellendum Satanæ furorem, singula nostrorum corpora, animas, & spiritus triplici munivit armaturâ, fide scilicet in Deũ, & Christum Iesum; immobili, & firma spe vitæ multò fælicioris futuræ, ne caducis hujus mundi in occasum labentis vanitatibus hæreamus; & charitate erga Deum, & proximum (quam scriptura sacra impletionem legis appellat) contra

iniustas

iniuſtas,& impuras carnis libidines, & prurientis animi motus. Hoc inquam triplici munimine fidei, ſpei, & charitatis,improbitas omnis diabolica carens fide, omnis pigritia,& deſperatio deſtituta ſpe, & omnis malitia charitate vacua,ope divina auxiliante,atq; operâ humanâ adnitente, quàm certiſſimè, citiſſimèq; retunduntur. Quæ cum ita ſint,addiſcamus hinc omnes,potentiam,maieſtatem,& bonitatem Dei demirari,qui varijs modis in ipſa creatura,veluti in exigua quadam tabula, ſummam & ſanctam ſuam trinitatem quodammodò adumbrauit. Cuius infinitudinem,nec loci,nec dierum ſpatio terminandam, Philoſophi pij per circulum hieroglyphicè deſignare voluere, cujus centrum vbiq;, circumferentia nuſquam. Vale (Lector benevole)& fac tu,in acquirendo philoſophorum lapide, incipias prudenter,& pergas patientèr,vt perficias fæliciter.

Salutis tuæ Studioſiſſimus,

IO. WIGORN.





Παροράματα sic restituantur.

LEge *pag.*3.*lin.*16.aliena.*p.*20.*l.* 1. quid.*p.*28.*l.*26.cupro *p.*32.*l.*2. Nihil.*p.*38.*l.*4.& 8.quem.*p.*62.*l.*1.Oleaginitatem.*p.*64. *in marg.* Ign.*p.*76.*l.*2.superfluitatibus.*p.*78.*l.*17.constringit.*p.* 82. *l.* 22. studiosorum. *p.*85.*l.*9.perditionem.*p.*88.*l.*22.est.*p.*94.*l.* 8.mari.*p.*110. *l. ult.* preciosorum.*ibid.in marg.*turba.





Ignis naturalis Agens
inest
Siccitas terræ cum humiditate aquæ non conuenit.
Elementorum
discordia.
Ignis occultus penetrans
inest
Frigiditas aquæ cum caliditate aeris non conuenit.
Elementorum
discordia.
Ignis sublimis generans
inest
Humiditas aeris cum siccitate ignis non conuenit.
Elementorum
discordia.
Ignis subtilis consolidans
inest
Caliditas ignis cum frigiditate terræ non conuenit.
Elementorum
discordia.
In terra frigida et sicca.
hinc
Spiritus Vegetans.
In aqua frigida et humida.
hinc
Spiritus penetrans.
In aere calido et humido.
hinc
Spiritus coniungens.
In igne calido et sicco.
hinc
Spiritus stans.
Quatuor
Elementorum
Concordia.
Qualitatum
Ignis et terra in sicco.
Terra et Aqua in frigido.
Aqua et Aer in humido.
Aer et ignis in calido.
Conueniunt.
Virtute spiritus quintæ
essentiæ, totum perficientis
magisterium, in
ni gro.
al bo
ei trino.





Cap. I.

Philosophorum Nihil oritur ex corruptione, solutione, & prioris apparentis formæ privatione.



VISQVIS in componendo Philosophorum lapide, ad Aliquid vult pervenire, a *Nihilo* incipiat: et qui ad *Omnia*, per *Aliquid* progrediatur; quia sicut ad summum non pervenitur, nisi per media, sic nec ad Philosophorum *Aliquid*, nisi per eorum *Nihil*, nec ad eorum *Omnia*, nisi per *Aliquid*. Isti enim sunt in opere philosophico certissimi gradus, in quibus nigredo, albedo, et citrinitas successiuè. Quapropter vana, et vacua est inter veros Philosophos positio illa è scholis Philosophorum iam diu explosa, *ex nihilo nihil fieri*. Quid enim est Philosophorum *Nihil*, nisi quædam quasi privatio, qua duce, perveniunt ad *Aliquid*, scilicet, per corruptionem vnius ad generationem alterius. Eorum enim *Nihil* ex privatione, corruptione, et putrefactione oritur, continens in se potentiam ad *Aliquid*, quod quidem *Aliquid* propensionem habet ad *Omnia*. Sed de his suo ordine dicẽus latiùs. Interea non sum nescius in *Chao* physico Phlosophorum, &

Nihil, et *Aliquid*, etiam et *Omnia* latere. Nos tamen ad rei veritatem apertiùs exponendam, aptiùs procedere decrevimus, modo priùs à nobis proposito. Primo autem, dum de *Nihilo* disputamus, animadvertendum est eum nihil agere, qui materiam, quam habet, non reducit ad *Nihil* destruendo, vt materiam, quam quærit, perducat ad *Aliquid* imò ad *Omnia*, quæ in *Aliquo* sunt, construendo.
Ioh.12.24. Huius rei exemplum dabo. Dixit Christus salvator, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si verò moriatur, multum profert fructum. Et alibi Paulus, corpus non
Cor.15. reviviscet, nisi moriatur. Et *Morienus*. Nihil natum, crescens, vel animatũ, nisi post putredinem: Compositum autem corporale, quod per corruptionem moritur, per regenerationem consurgit simplex, et spirituale: & nihil erit in exaltatione sua, nisi prius fuerit in putrefactione sua. Quapropter accipiamus, quod habemus, et apparentem illius formam destruamus per putrefactionem, quę mors, vel potiùs (vt loquitur Paracelsus) mortificatio dicitur: tunc
Lib. de natu. rer. id, quod per putrefactionem resolutum fuerit, extrudit germen ad nouam generationem, & spiritus generativus à vinculis corporeis liberatus, disponit se ad transmutationem, & novę generationis introductionem, per abolitionem prioris formę. Quamobrẽ Philosophi privationem posuêre inter tria rerum principia: Norunt einm formam, & materiam constitutiva esse rerum principia; privationem

autem

autem principium transmutativum nominarunt. Si enim pręcedat privatio, aut corruptio, necesse est vt oriatur, & sequatur nova rei generatio; quia destructâ vnâ formâ, immediatè succedit altera, vt patet in calce de lapidibus confecta, & in vitro de cineribus. Vnusquisq etiam ignarus, rudis, & indoctus Agricola novit, verũ illud esse, quod Philosophi dixerunt. Quale autẽ semen, tale fiet germen: terra verò mater est rerum omnium, (Magna parens terra est:) & omnia in terram redeunt, & suus cuiq; principio est finis, quia,

Omne quod exoritur, terra fit & moritur.

Eodem modo generatur lapis, scilicet, ex semine, per coniunctionem Maris, & fęminę, activi cum passivo, formę cum materia, & sulphuris cum argento vivo: E squilla autem non nascitur rosa, Aliena ~~qua~~ sunt semper reijcienda.

Sed pullos tales dat, qualis nascitur ales:
Et fructus veris, est sine fraude, sophis.
Ex nuce fit corylus, ex glande fit ardua quercus:
Sed labor in falsis, est sinefruge, sophis.

Destructio autem precedit constructionem, & corruptio generationem. Occidit aurum, & occidit mercurium. vtrumq moritur, & oritur. Ante mortẽ non est ortus, & invtilis est sine morte vita. Quare,

Morte mori melius, quã vitam ducere mortis.
Mors similes simili conditione beat.

Teste *Avicenna*, lapis non fructificat donec ad *Nihilum* perveniat, sed qui aurum novit destruere (inquit *Rosarius*) is ad maximum pervenit arcanum: & *Avicen.* *Rosar.*

 qui

qui in ortu suo obscuratum videt solem, & statim ova nigrarum gallinarum coniungit cum ęre nostro, habet magisterium ad exaltandum solem nostrum. Solis autem nostri obscuritas fit per nostram putrefactionem, quę omnium naturarum ad invicē ligatarum est solutio, separatio, & prioris apparentis formę privatio, et in *nihilum* reductio. Atq; isto modo *Nihil* nostrum obscuritatem parit priùs in nigredine; vt postea *Aliquid* claritatem producat in albedine; & vt *Omnia* perfectionem assequantur & ostendant in citrinitate. Quare putrefactio est imprimis necessaria, vt quasi ad *Nihilum* res redigatur: quia nunquam fit aliquid natum, crescens vel animatum nisi post putrefactionem quę in Composito nostro *nihil* aliud est nisi humidi cum sicco mortificatio.

CAP. 2.

Philosophorum nihil res est vilis, quæ recto ignis regimine perficitur in rem preciosam.

IVbent Philosophi, vt accipiamus rem vilem in sterquilinijs. Vnde ignari quęsiverunt rem preciosissimam in merdis. Sed res nostra vilis in sterquilinio, est res illa nigra, fętens, corruptioni subiecta, turpis, & immunda, quam ignis noster lavat, nutrit, & perficit, donec caput corvi albedinem induat. Interea tamen, vt homo mortuus in sepulchro,

chro, sic spiritus generativus, occultatus in sepul chro suo, quasi mortuus iacet, & solus manet, donec terrę suę beneficio, & naturarum conversione & alteratione, Artifex assiduus patienter (sicut Agricola) expectet, & colligat fructus. Annon *Æsopi* gallus gallinaceus vertebat stercorarium, & inuenit gemmam, Quid, inquiens, rem tam nitidam reperio? Sterquilinium nostrum, sive res vilis nostra, sępius est vertenda, & terenda igne nostro à gradu ad gradum, à colore in colorem, ab elemento in elementum, donec gemma preciosissima, tanquam nitidissima, splendidissima, & albissima res appareat: lux enim nostra omnes priores depellit tenebras. Attendite iam viri sapientes, quomodò ex *Nihilo* exurgat *Aliquid*, quomodò ex re mortua producitur viua, & ex re putida & putrefacta res preciosa & perfecta, quomodò etiam, ex vitulo strangulato oriuntur apes, & quomodò apes ex herbis generant mel, quomodò ex vermibus producitur sericū, quomodò vivus, & serpentinus vermis nascitur ex crine equino, quomodò (quod ipse vidi) mille diversarum formarum vermes oriuntur ex fęno, & fimo equino per mensem, per balneum decocto, quomodò ex stercore Enniano colligere se aurum figuratìvè dicebat Virgilius, & quomodò ex re vili preciosum, ex sterquilinio gemma, & ex foetenti sepulchro, & fimo equino dulcis odor lucri provenit, vbi natura obstetrix ex vtero vniuscuiusq́ rei suam prolem in lucem excludit.

Bos dat apes, dat equus bruchos, fucos quoq; Mul9,
Dat vespas asinus, sic Isydorus ait.

Si talis, & tam facilis sit transitus post spoliationem accidentium, & corruptionem formarum in rebus nullum inter se symbolum, aut similitudinem habentibus, sed omnino heterogeneis, quantò (quęso) faciliùs hoc fieri potest in metallis habentibus idem principium ex sulphure, & mercurio, vt omnes attestantur Philosophi, cùm, tempore opportuno natura per se agat, & nos naturę administremus per putrefactionem, in convenientibus, similibus, & homogeneis. Nam omnia composita generari & corrumpi possunt: & quę corrumpuntur a forma in formam facilè transeunt: Facilimè autem metalla quę communem & eandem inter se habent primam materiam, licèt forma & specie differant. Habent enim Symbolum in materia, virtutibus, & potentijs naturalibus: & facilis est eorum transmutatio adinuicem, quia actiua virtute post priuationē prioris formę, forma in formā transit. Non tamen dicimus priuationē esse causam effectiuam ipsius transmutationis de forma in formam, sed occasionem tantum & causam sine qua non. Vera autem & efficiens causa, est rerum agens Naturale, quod prędominans imprimit aliquando formam priori contrariam, sed semper materię conuenientem & necessariam. Sed quęri solet, quamdiu in putrefactione nostrū *Nihil* maneat, & lateat in oculo fabę nigro, & quantū illi tēporis assignatur.

Alb. de min. Lib. 3. Cap. 6.

tur. Et dicimus quòd aliqui imponunt centum, & quinquaginta dies, alij plùs, alij minus, & corvum in columbam conversum paucis postea diebus dicunt. Sed quia diversos terminos decoctionis perfectę posuerunt Philosophi, nos regimen ignis ponimus, distinguendo inter frigidum, & calidum, vt pars lapidis adhuc non fixa, non fugiat, sed paulatim coquendo ignem sufferre, & sustinere possit continuum, & nullũ certum statuimus spatium inter principium, & finem decoctionis: quia iubet *Raymundus*, vt lapis ponatur in vase philosophico in principio veris (scilicet philosophici) & permittatur, donec tota materia denigretur. In ea enim est, quod seipsam emendet, nisi igne nimio, vel nimiá festinantiâ fugiat, & qui lapidis naturas nôrit, prolixitatem coquendi sustineret, donec propositũ nutu dei extraheret. Sat citò, si sat bene. Sed festinando plerumquè fit, qùod, *Bonellus.* *Zynon.*

Res quęsita morâ, parvâ consumitur horâ:

Accidit in puncto, quod non contingit in anno.

Qua propter hoc vnum solum admonemus Artificem, ne ignem accendat solito vehementiorem, sed levi igne excitet, & extrahat corrũpentes humiditates, & suaviter separet subtile à grosso cũ magno ingenio, donec tenebrę recedant, & oriatur lux. Gloriosa enim thesauri arca non aperitur, nisi cum damno, donec nebula nigra calore solis, decoctione diligente, & lenta, ęquali, & continuâ evanescat, & in albedinem convertatur: festina lentè: festinans canis cęcos parit catulos; & fructus nimis *Hermes.*

citò

citò maturus, subitò arescit. Ipsa verò natura in motu suo tempus habet suum, coeundi impręgnandi, parturiendi, nutriēdi, & perficiendi. Interea occulta virtus, digesta & decocta in minera nostra per naturę opus, spiritus scilicet vitę manet latens in corpore suo fortiter compacto, donec paululum, & paulatī, quasi per gardus lentos possit prodire ex cavernis suis beneficio putrefactionis, quę omnem rem ad *Nihilum* prius reducit, vt ex *Nihilo Aliquid*, imò *Omnia* quę in eo sunt, ex se, & per se producat. Quapropter rectè Geber prœcipit, vt lentus sit ignis, qui humiditatis naturalis, sive radicalis sit conservativus, & fusionis tributivus, quia vehementior & intensior ignis humiditatis est consumptivus, & dissipat, imò destruit opus, violento igne vitrificante materiā, & cogente partes grossas simul ascendere cum subtilibus. Proinde separetur aqua, vel anima à corpore suo, & extrahatur à radio solis vmbra sua vt in solutione illa magnesia fiat nigra, & draco nigerrimus corrodens Caudam suam: tunc inde exibit aqua quę vocatur à philosophis Sperma, anima, aer, ventus, vita domū illuminans, lux meridiana, argentum viuum nostrum, lac virginis, totum secretum.

Geber.

CAP. 3.

CAP. 3.

Docet quomodò ex Philoſophorũ Nihilo, eorum ſulphur, latens in mortuo Magneſiæ corpore, conſequi poſſimus, & quid ſit Magneſia.

QVi quęrit ſulphur irradians noſtrum, faciat pacem inter ſolem, & eius vxorem: ita vt non ſeparentur ab invicẽ, ſed immiſceantur inſeparabiliter. Quod quidem fit, quando per extractionem vtriuſquè naturę, ambo interficiuntur, & poſtea reſuſcitantur nova reſurrectione, ita vt quaſi immortalitatem poſtea induere videantur. Quomodò autem ſulphur irradians (quod virtus occulta, & ignis vivus, & ſimplex dicitur) conſequi poterimus, in receptis ſuis Philoſophi non docent. Ego autem miſericordia motus erga ſtudioſos & diligentes artis filios, rem ipſam acu tangam. Oportet priùs, vt noſtra leui, & lenta decoctione, putrefactionis calore, & ovorum Philoſophorum nutritione, virum cum vxore ſua redigamus in *Nihilum*, ita vt corrumpi, & mori, non autem funditus perire faciamus, igne philoſophico, qui eſt calor ſolis, vnde ſulphur, quod non reperitur ſuper terram: digeſtum tamen, & decoctum in terra ſolis reperiatur, & ex ea producatur ſolutione per aquam mercurialem. Guttatim ſtillet humidum, tunc ſimul reddendo ſudorem ſuum, teritur durum, atq; illa, quę ſic commoriuntur coniugio corporali,

Scala.

viuificantur matrimonio cęlesti, teste Philosopho, dicente, Qui mecum moritur, mecum oritur; & Hieronymo optimo theologo, *Nihil* oritur, nisi quod priùs moritur. Mors autem nihil est, nomine tantum aliquid, sed revera nihil, quia privatio. Non enim in prędicamentis ponitur privatio per se, nec in rerũ serie stat, nisi gratiâ illius, cuius est privatio. Neq̃ inter creaturas Dei habentur mors, & infernus. Intrarunt enim per peccatũ, & propter peccatum. Confitemur autem mortem esse viam Regiã ad vitam nouam, & priore vitâ depositâ, & deperditâ, ad vitam longè meliorem, quia ad immortalem & à peccato, maledictione, & corruptione liberã.

Chrys. in Lazar. Mors enim non est omnino annihilatio sed renouatio. Beata certè, & ante omnia desideranda mors est, quę vtriusque Ianuę valvas latiùs aperit, vt via ad vitam apertiùs pateat. Quamobrem iubet incognitus author, vt accipiamus lapidem suspensum super mare (nomen eius Victor) Cum eo, inquit, perime viua, & viuifica perempta: in eo enim sunt

Iodoc. Greuer. in Conclus. Secreti. mors, & vita. O scientiam prę clarissimam! quę quasi theatrum vniversę naturę existis, eiusque anatomia, astrologia terrestris, argumentum Omnipotentię Dei, testimonium resurrectionis mortuorum, exemplum remissionis peccatorum, & speculũ beatitudinis ęternę. Hanc tamen longè prę clarissimam scientiam nihili ęstimant insipientes, & ignari: & meritò, quia non nôrunt sapientum *Nihil*. Absit etiam vt indigni nostrũ *Nihil* intelligant, occludantur

tur potiùs cæcorum oculi, ne videant gloriam Dei in mirabilibus naturæ. Hoc autem vnum velim, intelligant, quicunque præclarissimæ huic arti operā dant, quòd necesse est, vt qui intelligunt nostrum *Nihil*, extrahant de corpore mortuo latentem, et inclusum suum spiritum, qui postea mortuo Magnesiæ corpori vitam exhibeat. Separatus enim spiritus à corpore suo in nebulas nigras super corpus ascendit, & avolat in fumum, nisi cautè eum Artifex custodiat. Sed si firmitèr inclusum sigillo Hermetis eum capiat, hic certè spiritus introducit novam, & meliorem formam corpori corrupto, cùm semel pervenerit ad digestionis, & sublimitatis finē. Magnesia autem est tota illa mixtio, de qua extrahitur humiditas illa, quę argentum vivum nostrum vocatur. Et dici debet nostrum, quia non est vulgi, nec quilibet mercurius, sed solus ille, circa quem natura suas primas operationes determinavit ad naturam metallicam. Atque hęc humiditas (quę etiā aliquando dicitur sulphur) extracta per magisteriū, vocatur Draco, qui totum compositum, à nigredine privatum, & à morte liberatum, in corpus illustre, imò illustratum producit, donec ipsissimum corpus anima vocetur. Et licèt diversificātur nomina eius, tamen vna semper sola res est, & de eâdem re. Non enim introducitur in naturā, quod in ea nō est de sua natura. Quare oportet, vt agens, & patiens sint in genere res vna, & eadem: in specie autem altera, & diversa, secundum mercurium, quo diversificatur

Lad: puer.

Flamel.

ficatur mulier à viro, quia licet in vno genere conveniunt, tamen inter se differentiâ distinguntur & differunt sicut materia, & forma. Atque sic corpora in melius convertuntur , cùm in conversione corpora priùs interimuntur, & in nihilum rediguntur, granaq; corporis in mortem prosternuntur, & totaliter mortificantur, vt indè oriatur mercurius noster, tingens omne corpus in solem, vel lunam, secundum quod lapis sit finaliter prœparatus. Primò enim componimus, tùm compositum solvimus, putrefacimus (quia nil nascitur, nisi priùs putrescat) putrefactum abluimus à corrumpente impuritate, ablutum coagulamus, vt aqua suavitèr desiccetur, coagulatum calcinamus, calcinatum figimus, vt de fixo, & in summum sublimato statum, habeamus tingentem mercurium fluentem, sicut fluit cera igni apposita. Sed de tingente mercurio dicemus latiùs, cùm ad *Omnia* pervenerimus. Interea intelligamus quòd in nihilo sive putrefactione nostra fit solis & lunę, artificialis & spiritualis Coniunctio: & tinctura solis mirum in modum se dissoluit & diffundit in aqua lunę limpida; nam tinctura solis aliter non tingeret, si careret suo receptaculo idoneo, in amborũ coniunctione spirituali. Obtusum enim non pungit, nec aurum quatenus solidum & compactum est corpus, tingit. sed ex vero solis cum luna matrimonio fit verus coitus; ex vero coitu impręgnatio vera; ex vera impręgnatione verus partus. Sol autem pater est, & habet sui spermatis

receptaculum

receptaculum lunã, quę ab Hermete dicitur mater. In patre est sperma masculinũ, in matre fęmininum: Illud rubeũ est & calidũ: Istud album et frigidum: et in spirituali amborum coniunctione, corporea fiunt incorporea, subtilia, depurata & viua post putrefactionem; & simpliciora fiunt compositis longè pręstantiora & perfectiora, & fortiùs mirabiliùsq regenerata sua simplicitate agunt.

CAP. 4.

Nostrum Nihil clavis est totius artis.

NOs autem nosmetipsos accingamus ad Philosophorũ *Nihil*, cùm de eo nunc sit sermo. *Nihil* enim nostrum in corruptione sua maximam affert emolumenti spem, eò quòd apparens putrefactio perfectũ probæ coniunctionis est signum, sine qua nulla fixio inter spiritum, animam, & corpus accidit. Est enim nigredo in putrefactione, & putrefactio in nigredine, atq hoc secretum est; & signum dissoluti corporis, sine quo non fit progressus ad generationem inter masculum, & foeminam amoris vinculo. Appetit autem volatile fixum, & fixum volatile, corpus spiritum, & spiritus corpus, aqua terram, & terra aquam, sicut causa effectum, & effectus causam, non alitèr quam Mas trahit foeminam, & foemina marem appetitu naturali. Vbi autẽ naturalis est appetitus, ibi & attractio, *Isaac.*

vbi attractio, ibi secundum naturam retentio, in retentione digestio, & per consequens superfluorum tandem expulsio, & impurorum evacuatio. Quare, qui solvit in putrido, & coagulat in puro, totum perficit magisteriũ: vis enim eius integra est, si versa fuerit in terram. Quamobrẽ lętetur in laboratorio suo artifex quia hoc ipso nigredinis signo, semen, quod quęrit, germinare conspiciet. Quid enim aliud est instar picis nigredo, quàm corporis soluti verum indicium, & novę formę (corrupta priore) introductio. Ob eam itaque causam *Nihil* nostrum clavis artis, et operis dicitur: Et qui per hanc clavem non ingreditur, exclusus pulset cum insipientibus quia ianua clauditur et aperiri non potest. Compactũ enim firmiter corpus, sine clave nostra, inane, et inanime manet, vt priùs. Sed qui clavem habet nostrã, huic fit introitus ad *Aliquid*, et per *Aliquid*, ad tincturam, quam quærimus, in qua *Omnia*. Itaque qui rectè cupit procedere, sedeat priùs sub vmbra tenebrarum, et mortis, vt lucem, et vitam, quam quærit, inveniat lætus. Est enim *Nihil* nostrum, in quo nigredo, principiũ medicinæ, et (vt inquit Lullius) *pessimè sentiunt, qui nigredinem pro impuritate habent*. Non enim *impuritas*, sed humiditas aquosa, et adustiva parit *nigredinẽ*, corrumpit opus, et tingit in colorem, *qui à* sapientibus dicitur Saturnus, vel plumbum, vel *æs* propter suam nigredinem. Apparente itaque nigredine, scias te rectam invenisse operandi viam, et in sepulchro suo sepelijsse

Hermes. *Lul.* *Lul.* (marginal notes)

virum cum vxore sua in fimo equino, cuius fimi significatio est apud Philosophos obscura transfiguratio, et in nigredinem conversio. Ideoque lętari potes, quia donum maximum tibi à deo concessum est, vbi color tibi signum sit in magisterio totius operis, & inprimis finis visui tuo patefiat, & postea mutatio operis à colore in colorem te semper doceat. Nam qui bene novit destruere, novit etiam bene construere, & qui cęlum cum forma facit concũbere, cęlum cum forma facit concipere, quia ex putrefactione purificatio, ex nigredine albedo, ex immunditie ablutio, & ex *Nihilo Aliquid.* Atque sic grossum factum est gracile, leve ponderosum, asperum molle, & dulce amarum per conversionẽ naturarum, & virtute nostri ignis occulti. *Phœnix.* *Aquinas.*

Quapropter quia vnumquodq́ colorem, & nativũ calorem habens, vitam etiam habere dicitur, Philosophi studuerunt eam occidere, & ad Nihilum reducere, vt postea vitam quasi perpetuã ei redderent. Hoc autem fit, cùm azoc, & ignis totam obscuritatem evellentes, opus suum perficiunt. Fateor nostrũ nigrum Saturnum patrem esse Iovis, sed iratus Iupiter abscindit patri genitalia acuta cum falce: genitalia Saturni in mare cadunt, & ex eorum sanguine, simul cum maris spuma genita est Venus. Hinc in opere varij colores, nigredo Saturni, albedo Iovis, & Veneris citrinitas. Dicit ergo Rosarius, quòd quicunq́ vult intrare Rosarium, & ibi videre, & habere rosas tàm albas, quàm rubeas absque re nostra

vili,

vili, & absque clave nostra, cum qua nostrę reseraturę reserentur, ille assimilabitur homini, ambulare volenti absque pedibus, quia in illa re vili est clavis, ex qua septem portę metallicæ aperiuntur, & absque illa re vili nunquam preciosum perficitur. Perficitur autem sulutione, vbi calor agens in humido primò efficit nigredinem, & agens in sicco operatur albedinem, & in albo citrinitatem: effodiatur ergo Draconi sepulchrum, & sepeliatur illic mulier cum eo, donec totus vertatur in sanguinem. Sed sistamus gradum: huc enim non adhuc tam celeri pede pervenimus.

Theophil.

CAP. 5.

Nihil philosophorum parit mortem, mors fœtorem, fœtor venenum. Sed Virtus Nihili Philosophorum, potenter & naturaliter se ostendit in essentiali, occulta, & invisibili rerum forma, vndè nova, & excellens creatura exurgit.

PErpendamus paululùm in nigredine nostrum *Nihil*, eius bonitatem, & virtutem expectantes expectemus. In eo enim dominatur obscura fęmina, apparens in corporis dissolutione, vbi corruptio putrefactionis in re nostra vili fit per calorem, agentem in humido, vbi etiam calor connectens humidum, generat primò nigredinem, adeòque obscuratus est sol in ortu suo. Est hęc denigratio

Avicen.

gratio est operis initium, corruptionis signum, putrefactionis indicium, certum commixtionis humidi cum sicco principium, solutionis corporis signum, et susceptio vtriusque in alterum. Neque enim aliquid generatur ex altero, nisi priùs præcedat corruptio. Itaque incipiendum est a putrefactione, quæ nihil aliud est, quàm corruptio, et destructio, quam etiam nos nostrum *Nihil* vocitamus. Scala.

Ortus cuncta suos repetunt, matremq; requirunt,
Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.

Cùm enim per putrefactionem destruitur materia cum visibili externa forma metalli, si sciscitetur quispiam quid hoc? Respondendum sanè *Nihil*: fuit fortassis aurum, argentum, vel mercurius, vel vnũm, vel duo ex his simul, at in putrefactione, nec aurum est, nec argentum, nec mercurius. Quid ergo est? certè *Nihil*, quoad priorem materialem formam *Nihil*, & nullo insignitũ proprio nomine. Vocatur tamen aliquando caput corvi, proper nigredinem in dissolutione, aliquando cadaver, propter fœtorem in mortificatione: Et si nunc frangatur vitrum & referetur sepulchrum in quo clauditur nostrum *Nihil*, hoc certè *Nihil* venenum est mortiferum, imò ipsam in olla mortem inveniemus.

Nam tacet in tumulo rosa mundi, non rosa munda,
Non redolens, sed olens, quæ redolere solet.

Procul hinc, procul ite magistri. nam illius mulieris venter armis est plenus, & veneno. Ecce *Nihil* nostrum mortem operatur, & mors, vt anteà dic- Theophil.

tum est, nihil est. *Nihil* enim meritò dici debet, quod in rerum natura esse non habet. Sed sicut per mortem transitus fit ad vitam, sic per nostrum *Nihil* via patet aperta ad *Aliquid*, & venenum nostrum nos ad prestantissimam, & preciosissimam ducit medicinam, si eo rectè vtamur. Imprimis autem sciendum est, quòd per putrefactionem, &
Rosar. putridi fractionem, omnis res digeritur, & in illa digestione fit fractio inter putridum (id est fœtidum) & mundum, vel (vt magis loquar philosophicè) inter materialem, & essentialem formam: forma enim essentialis mundi corporis, etiam in materiæ corruptione illæsa manet, ideoque immediatè crescit, & multiplicatur in se, vt patet in grano, quod postquam stetit per aliquos dies sub calore terræ, tumescit in putredinem, vt quod mundum est in eo, crescat, & multiplicetur, immundum autem, & corruptum evanescat. Huius rei ratio est, quòd liberatus spiritus captivus corpore suo, virtutem, & essentiam suam potenter, & naturaliter ostendit. Non enim corrumpitur lapis, vt mortuus maneat, sed vt mundetur, & vivificetur, & vt à damno in lucrum, à corruptione in renovationem, à malo in melius, à nigro in album, ab immundo in mundum, & ab ipsa morte in vitam convertatur, teste Morieno dicente, Terra cum aqua
Morien. putrescit, & cum aqua mundificatur. Putrefactionem enim sequitur ablutio, & omnis obscuritas penitus deletur. Etenim licèt inanime & mortuum

corpus

corpus videatur, cùm tamen aqua noſtra è corpore animam ſuam ſemel extraxerit, rediens & deſcendens aqua corpus penetrat, & ſpirituale efficit, reddendo, & infundendo animam ſuam, vt corpus mortuum reviviſcat. Sed quæri ſolet, an omnes creaturæ poſſidentes in ſe ſemen ſuum, in ſemine ſuo putreſcant, & pariant nigredinem, priuſquam multiplicantur, & creſcunt. Nos autē reſpondemus quòd in vegetabili, & animali id ſemper ſolet fieri: in metallico autem corpore non fit, niſi ad primam materiam reducatur. Prima autem materia aqua eſt permanens, vivificans corpus, ideoque aqua vitæ vocatur, lac etiam virginis, herba ablutionis & fons animalis, de quo fonte qui bibit, non moritur. Secretum hoc, in quo tota occultatur ſcientia.

Capiat, qui poteſt: ille, qui capit, captivum habet mercurium philoſophorum, & ſervum fugitivum, qui, cum capitur, præfert ſe auro, & fit auro millies precioſior. Hic certè mercurius eſt ille, ex quo deus omnes creavit mineras. Atque hunc nos profundum, & occultum ſcimus ipſius corporis & erigens ipſum. Quapropter ſtuduerunt philoſophi, illorum etiam lapidem mineralem componere ex humido illorum minerali, & vapore vnctuoſo, extracto à corpore interempto, & ab vnoquoque corporis grano, morte proſtrato, & totaliter interfecto, ſed cum conſervatione ſpeciei, & eſſentię ſuę. Annon adhuc vnuſquiſque filius artis planè, plenéq; intelligit quomodo oriatur noſtrum *Nihil, Aliquid.*

Quid, etiam & *Omnia* ex putrefactione? Quod enim est vapor ille mineralis, & humidum illud vnctuosum radicale, nisi omninò *Nihil*, nihil, inquam, nec tibi, nec mihi, sed citissimè in auras avolans, nisi liberatum corpore suo, inclusum tamen vitro, tanquam novo carcere fortiter detineas, donec duo obviantes spiritus lęti (natura enim naturâ gaudet) corpora mortua vivificent, vnde eorum *Nihil* in aliquod magnum, potens, supereminens, sublimatum, & excellens exurgat. At verò vapor ille vitę, & vivificans, qui etiam Draco dicitur, quam diu cum fratre, & sorore sua manet in eorum mortificatione, *Nihil* dici debet, donec ab illis, tanquam à morte resurgat, vt postea fiat aqua permanens.

CAP. 6.

Quomodo invisibilis formalis pars, quæ est argentum vivum philosophorum, & metallorum semen, extrahatur à composito in Nihilum redacto.

QVoniam verò sol, & luna aliquando frater, aliquando soror, aliquando pater, & mater lapidis dicuntur, & etiam aliquando in operatione lapidis terra, vel nutrix appellantur, scire oportet Artificem, quòd materia prima in quam resolvenda sunt sol, & luna, est (vt inquit Ripleus) materia prima propinqua, quę in animalibus sperma, in vegetabilibus semen, in mineralibus sulphur,

ſulphur,& argentum vivum (ſupple) philoſopho-rum nuncupatur. Argentum autem vivum vulgi non eſt de magiſterio lapidis, nec cum ipſo extrahitur convenienter argentum vivum philoſophorum ex auro, vel argento, neq; aurum ipſum in ſua natura aptum eſt ad hoc, vt ex ipſo fiat aurum philoſophorum: differunt enim inter ſe, quę ſunt philoſophorum, & quę ſunt vulgi. Philoſophorum enim aurum eſt formalis pars auri, ſed vulgi aurum eſt totum auri compoſitum. Oportet itaq; corrumpere compoſitum, vt ex eo poſſit elixir generari, quod eſt ſulphur philoſophorum. Et licèt ſulphur vel (vt ita dicam) ſemen metallicum corrumpatur, &, quoad apparentiam, quaſi penitus deſtruatur, quod aliquo modo propter vegetationem, & incrementum vegetabile, & propter animationem, animale dici poteſt: nullo tamen modo ita corrumpitur, atque ita deſtruitur, vt penitus omnis vitę, & vivificationis ſpes tollatur. Manet enim materia ſemper ſub aliqua forma, vnde ſoluta prima corporis forma, & ad *Nihil* (quoad priorem formam) redacta, introducitur ſtatim (vt antea dictum eſt) nova forma, poſt corruptam corporis perfecti priorem apparentem formam. Atque hęc nova forma eſt inprimis in colore nigra, in odore fętida, & in tactu ſubtilis, & diſcontinua, ita vt reſpectu deſtructę prioris lucidę, & luculenter apparentis formę, meritò *Nihil* nunc dici poſſit, & debeat.
Comparativa enim eſt hęc loquutio, & non ſimpli-
 citer.

citer dicta, quę de nostro *Nihilo* dicitur. Neque enim dicimus *Nihil* nostrum, sive nigredinem, & corruptionem ipsam esse causam per se efficientem ipsius transmutationis de forma in formam, sed tãtùm occasionem, & (vt Titelmannus loquitur de privatione) causam sine qua non, sicut priùs cap. 2. dictum est. Causam autem verè efficientem novimus esse agens naturale, quod prędominans in aliqua perfecta forma, imprimit in materiam formam, quam vult introducere, & transire facit materię formam activa sua virtute in formam convenientem, & acquisitam. Quarè in solutione putrefit corpus, & in putrefactione solvitur, & in vtrisq; mutatur, & non manet, quod prius fuerat, sed concurrente solutione, & putrefactione, mortuum apparens corpus, & ad nihilum deductum, in melius transformatur; quod, si mortuum non fuerit, solum manet: Si autem mortuum fuerit, fructum multum affert.

Cùm videas lethum, tibi dicas te fore lętum.

Quęri autem solet, quomodò sulphur, sive mercurius, sive semen, sive prima materia, ex vnoquoq; corpore minerali, pręsertim è corpore perfecto, & fortiter compacto extrahi possit. Nos autem respondemus cum Alano, extrahitur medio spiritus mercurij. Ille enim spiritus instrumentum est materiale putrefactionis, solutionis principium, et completio: et eadem solutio est verum operis principium, et temperatus calor causa movens ad putrefactionem,

Alan.

trefactionem, et solutionem, quia calor agens in humidum parit nigredinem: Et qui nunc non novit extrahere perfecti corporis materiam primam, & ipsum semen ad generationem novam, toto se sciat aberrare cęlo. Medium autem extrahendi nos vocamus illud, quod de duabus extremitatibus participat, humiditatis scilicet, et siccitatis. Et per hoc medium trahimus argentum vivum philosophorum, sulphur, semen, et primam materiam eorum à cavernis suis, et reducimus lapidem ad suam primam naturam, purgatum ab originali macula. Hęc autem extractio, licet non vna vice, vel die vno simul et semel accidat; Accidit tamen singulis horis, et horarum momentis, paululum, et paulatim, donec opus ad perfectionem perductum fuerit, secundum operantis, et naturę regimen. Materia enim desiderat habere vnitatem formę ut de formę perfectione in vnitate spiritus quintę essentię integretur. Quantò enim nobilior est forma, tantò magis materiam nobilitat suam, et á duplice eorum spermate nascitur aqua viua, quę est argentum vivum nostrum, et aqua vitę, quę mortua corpora resuscitat. Ascendit enim fumus subtilissimus qui circum circa volando conuertitur in aquam limpidam serenam et claram tanquam lachrymam, habentem in se potentem earum virtutem à quibus extrahitur. Est enim spiritualis, et ratione suę alterationis et regenerationis miranda operatur. Quapropter iubet Lullius, vt accipiamus rem vilem, & eam faciamus

Auicen.

Lul. theor. Cap. 36.

Lull: Theor.

amus

amus rem vilem, & eam faciamus amplexari parẽtes suos, quousq; penitus crepentur, & sint velut mortui, & vt recipiamus ab eorũ ventre argentũ vivum, à quo lapidẽ formemus, & postea medicinã, quæ non omnibus est conferenda. Argentum enim nostrum vivum seipsum primò interficit, & postea occidit patrem, & matrem, & extrahit eis animas à corporibus, & epotat omnes ipsorum humiditates, facitque ipsos nigrescere, sicut carbo.

Ibidem.

CAP. 7.

Resuscitatio Nihili *nostri à corruptione sua in nobiliorem formam, docet resurrectionem carnis nostræ in gloriam.*

NOvimus, quòd destructum, & penitus corruptum cum suo compare aurum, aurum non est, nec destructum argentum, argentum dici debet, sed in destructione sua (vt priùs dictum est) *Nihil.* Mortuum enim, & destructum, nec hoc, nec illud est individuum, vt patet in tritico in terra mortuo, sed omnino *Nihil.* Cum verò susceperit novam formam; quid quęso novum hoc, nisi ex *Nihilo Aliquid?* De quo dicemus suo loco. Intelligamus interim, quod omne mixtum, & elemẽtatum corpus in compositione sua, corruptioni, & alterationi subijcitur, vnde sequitur mors, & in morte *Nihil.* Mortua enim in *Nihil* recidunt. Hoc tamen

tamen *Nihil* continet in se potentiam aptam ad reinduendam suam multò nobiliorem formam, post resuscitationem à mortuis, vt priùs dictum est. Resurrectio enim à mortuis *Aliquid* producit, in quo *Omnia*. Habemus itaque in putrefactione *Nihil*, in renovatione *Aliquid*, in perfectione post renovationem, *Omnia*. Et sicut nostrum *Nihil* mortis est signum; sic *Aliquid* nostrum vitæ spes est, *Omnia* autem resurrectionis, & vitę, effectus. Benedictus deus in ęternum, qui etiam in confirmationem resurrectionis nostrę à mortuis, statuit, vt oculis nostris cerneremus, metallorum mortificationem, imò ipsam mortem, & eorum postea resuscitationem à mortuis in melius, ad confirmandam fidem resurrectionis carnis nostrę in vitam ęternam. Quapropter, inquit Basilius Valentinus in tractatu suo de medicina hermetica, quòd nihil amplius scripsit, nisi quod post mortem, & resurrectionem carnis suę attestari voluit. *Omnia* inquit *Aristoteles* appetunt bonum, & omnia tendunt in finem suum. Bonum autem, & finis vniuscuiusque imperfecti metalli, est ipsa auri perfectio, vt in die iudicij sui maneat, & pęnas non det artifici, sicut volatile, imperfectum, & corruptioni obnoxium. Optarem equidem, vt mysterium hoc, sapienti notum (divina cooperante gratia) intelligerent etiam gravioribus peccatis obnoxij, vt in regeneratione sua (sicut metalla nostra) appeterent bonum, & finem suum sine fine in vitam æternam, & vt post resurrectionem *Basil. Valent.*

carnis corruptæ in die iudicij ſtarent in æternum. Alchymia certè teſtimonio antiquorum, & iudicio ſapientum, ad illam vitam, viam quaſi digitó ſuo demonſtrat, & ob eam cauſam ars meretur vocari veriſſima, & maximè neceſſaria, quæ naturæ pedi-ſequa dirigit nos, & ipſam naturam in materia metallorum ad finem, quem quærimus, vt ſummum bonum tàm in metallis, quàm in nobis ipſis finalitèr inveniamus. Si quis obijciat artem hanc eſſe difficilem, & obſcuram, quia abſcondita eſt Philoſophorum ſapientia, ſicut eſt eorum lapis reconditus: Fateor equidem figuratum, & ęnigmaticum fuiſſe, & eſſe eorum ſermonem, nè canibus, & porcis proijcerent gemmas, & nè capræ fętentes depaſcerent roſas albas, vel rubras, in eorum hortis pullulantes & creſcentes. Omnes tamen Philoſophi eôdèm tendunt, & in eodem conveniunt, nec eſt inter eos aliqua contradictio. Sed figuratiuè, & obſcurè ſunt loquuti, vt boni viri, & artis ſolummodò filij intelligerent, quibus datum eſt noſſe myſteria. Qui bene percipiunt, benè perficiunt, & qui ſubtili ingenio inveſtigant, continuo labore inveniunt, quod quærunt. De coloribus autem non iudicant cæci, nec obiectum ſentiunt inſenſati, nec myſteria ſapiunt, vel intelligunt increduli. Quapropter deſes non ſit filius artis in legendo, vt prōptior fiat in operando.

Haurit aquas cribro, qui diſcere vult ſine libro,
Scire rudes quærunt, quod docti non docuerunt.

Incipiat ergo qui ſapit ab intellectu, vt finem operi imponat

imponat in sensu. Licèt enim formæ rerum substantiales penitus sint invisibiles, et ignotæ, rectè tamen eas intellectu priùs concipientes de ijs postea iudicamus per earum operationes, qualitates, passiones, et accidentia, et tunc arguimus de ijs ab oculo ad animum, a sensu ad intellectum. Sed qui priùs probè concipit, postea rectè conspicit.

CPA. 8.

Complexiones metallorum ex elementorum qualitatibus cognoscuntur, et propter peccatum Adami ingemiscunt metalla cum cæteris creatis, vt liberentur.

EXperientia docti, dicimus metalla aliqua esse ignea, vt aurum, aliqua aerea, vt stannum, alia terrea, vt plumbum, alia aquea, ut argentum viuum. Essentia autem ipsius auri habet in igne qualitatem caliditatis, & in caliditate siccitatem; & essentia, quæ habet in aere humiditatem, habet in humiditate calorem: & quæ in terra siccitatem, habet in siccitate frigus, & quæ in aqua frigiditatem, habet in frigiditate humiditatem. Primæ autem istarum qualitates sunt de essentia rei; secundariæ autem adventitiæ sunt, & concomitantes. Qui verò novit humidum frigidum, in humidum calidum transferre, & humidum calidum in siccum frigidum, & siccum frigidum in siccum calidum transmutare,

mutare, convenit certè Artefium, & ipsa elementa, quæ occulta sunt, novit conspicua reddere. Vir insipiens non cognoscit, & stultus non intelligit hæc. Interea ingemiscunt metalla cum creatis omnibus, vt liberentur in gloriosam libertatem filiorum dei. Cùm enim in principio creasset omnipotens deus cælum, & terram, vidit omnia creata esse bona. A cælis autem per superbiam, & inobedientiam delapsi sunt angeli: & in terrestri Paradiso peccavit Adam. Iratus est deus. Quarè detrusit Adam ex Paradiso, sicut angelos è cælo. Hinc maledictio; et vnaquæque creatura facta est particeps maledictionis: terra etiam ipsa maledicta est. Hinc spinæ, cardui, lollia, vrticæ. *&c.* Et sicut terra post maledictionem suam sponte sua protulit pro saluberrimis herbis, pro odoriferis, et suauissimis floribus, mortifera quæque graveolentia, perniciosa, et nociva: sic etiam probabile videtur, quòd viscera terræ pro perfectis imperfecta, et pro sanis leprosa metalla plerumque producebant. Accepit Adam post peccatum suum, ficuum folia, ad virilia nuda tegenda: erubuit enim dolens. Folijs autem ficuum non egebat, priusquam peccasset. Neque enim opinor, quòd filij Adam, nisi propter peccatum patris vnquam eguissent, vel stannò pro candelabro, vel ferro pro calcibus equi vel ~~cubro~~ pro lebete, vel plumbo pro tectura domus, non magis quàm ante pecatum eguisset Adam ficuum folijs. Hæc enim omnia fuissent invtilia, et vana. Quapropter sicut Adam ipse creatus est sine macula et sine infirmitate aliqua, ad imaginem dei

CuPro

in

in omni,& summa perfectione;sic certè probabile, & verisimile videri potest, quòd reliquæ creaturæ ad vsum, & servitium Adæ in omni perfectione in statu suo,& in specie sua create sunt. Cùm autem peccasset Adam,morbus,imò mors intravit,& maledicta est terra,tàm intus,quàm in cute,tàm in occulto,quàm in manifesto,& tam in visceribus, quã in superficie. Et quid ni nunc metalla facta imperfecta & leprosa, tanquam filij amaritudinis dolentes,ingemiscerent cum ceteris creaturis pro amissa bonitate,libertate,& perfectione sua,vt tandem cũ filijs Dei libera facta esse possent. Etenim vniversitas rerum, quæ in vsum & servitium hominis erat à Deo creata, iræ & maledictioni Dei propter hominis peccatum subjiciebatur. Atq; hinc rerum omnium confusio,& horrenda mundi deformatio, sub spe tamen instaurationis in die revelationis filiorum Dei,& redemptionis corporis nostri. Nam in illo die, quod priùs erat à Deo constitutum,& postea propter peccatum destitutum, restitutum erit per Christum Iesum Dominum nostrum. Interea verò omnis creatura, maledictioni, corruptioni,& vanitati subjicitur,& in corruptione,& vanitate sua in *Nihil* redeunt creaturæ, vt ex eorum *Nihilo*, *Aliquid* in creatoris laudem & gloriam exurgat,& exultet. Corruptio enim vnius(vt priùs dictum est)generatio est alterius, ita vt in proverbium abijt,Senex filium generat,moritur senex,vivit filius. Philosophi aurum, quod in cœlis habet

patrem ſolem, in terris matrem ſolum, vocarunt ſemen ſuum, qui in vno lecto cum vxore ſua concumbens, agit viri vices, donec moriatur, vt filius eius, tanquam phænix ab oriente ſole, vivus, valens, victorque naſcatur. In ſene omnia vitia ſeneſcunt, ſola autem iuveneſcit avaritia: ſed,

Prodigus eſt natus, parco de patre creatus.

Tingit enim filius auri imperfecta metalla in infinitum, illis reddens ſuam virtutem, ſicut lucerna, & ſicut fulgur penetrans, totam lumine ſuo perimplent domum. Reliqua autem metalla manēt adhuc imperfecta, & fiunt ingemiſcentia, quaſi Tantalus, & in aquis metallorum ſtant vſque ad mentum, & aquam vitæ primis quaſi labris deguſtare cupiunt; ſed non poſſunt, ſitientia ſemper, & ingemiſcentia in ſtatu, quo priùs, niſi peritus Artifex miſericordia motus, eorum & capita, & etiam corda penitus ſub aquis mergat, cum aquis purget, abluat, & renovet, donec abeant in ſiccum flumina.

CAP. 9.

Cacochymiſtæ, qui in extraneis operantur, nihil agunt; ſed philoſophi, qui in rebus aptis & propinquis, iiſque mundis, & non leproſis operantur, lapidem perficiunt.

IMpij, & ignari Sophiſtæ, qui ineptè in rebus, à veritate alienis operantur, fingentes, ſed non facientes, myſteria hæc non intelligunt. Quapropter

ter in schola Philosophorum non proficientes, nihil perficiunt, sed in acquirendo lapide nummos suos dilapidant, quia Philosophorum *Nihil* non intelligunt. Hi in chartaceis, & receptis suis dicentes, *Recipe*, *Recipe*, decipiunt, & decipiuntur ipsi. Agit sophista fortassis apparentèr, ita vt videatur res, sed non est; sed Philosophus verus agit enter, & verè, ita vt res ipsa sit, sicut esse videtur. Misselli homines, in tenebris plusquam cymmerijs versantes, *Sisyphi* saxum volvunt defatigati, & in abyssum perditionis lapsi, à veritatis via longissimè aberrant. Isti montes pollicẽtur aureos in sophisticis multiplicationibus, sublimationibus, calcinationibus, & fixationibus suis, sed imposturis suis quàm plurimos fallunt, luxuriâ interim & poculis diffluentes. Vnde malè audit ars bona, & propter nebulonum fraudes malè audiunt viri boni, quia Sophistæ isti Alchymiam profitentur, non vt naturæ vim, veritatem, & virtutem, nec veram rerum cognitionem consequantur, sed vt divitiarum (scilicet) copiâ circumfluant, & amicis suis, nescio quæ, qualia, quanta polliceantur, qui Philosophorum nomen vsurpantes, artem hanc sanè divinam, prophanam, et vulgi fabulam propinant deridendam. Et tamen Verbosi isti, et inflati Sophistæ eorum fumum alieno igne multò luculentiorem esse volunt:

Atque intrare domos vt edant, spernunt alienas,
Esuriunt, sitiunt miseri, sed lauta requirunt,
Vt Cræsus dives quisque est, sed pauper vt Irus:
Et pro more suo, fercula lauta petis.

Cum verò aquila in cæleſtibus, et ſcarabus in fi-
nihil mo verſetur, niſi obſtet iſtorum arrogantia, igno-
rantia, improbitas, et fallacia, cur probi, et ſancti viri
in ſummo precio, et honore apud bonos, et ſanctos
non ſint habendi. Vos igitur ſancti, et boni viri, qui
non ad deum ſine deo, nec ad lumen ſine lumine ac-
ceditis, qui avaritiæ, inſcitiæ, et fallaciæ nebulis diſ-
ſipatis, veritatem in luce quæritis, vt divinę bonita-
tis radij mentibus veſtris illuceſcant, Empiricos
iſtos, imperitos ſophiſtas fugite, et nolite vnquam
rem aliquam naturæ, vel arti diſparem ſumere.
Mihi credite, vltra poſſe, non eſt eſſe: in alienis non
eſt aptitudo, vel potentia ad noſtrum eſſe; neque e-
nim á diſparatis vnquam valebit argumentum. Ho-
mo, et ſaxum efficiunt nihil, niſi fortaſſis Idôlum,
quod reverà nihil eſt. Etenim aliena non introdu-
cunt formam, quam ſapientes quærunt, informan-
tem: ſed qui in extraneis laborant, in rebus à verita-
te alienis operantur, et agninis lactibus alligant ca-
nem. Itaque reijciantur aliena; gaudeamus naturâ:
Natura enim naturâ gaudet.

Dum ſimilis ſimili ſociatur, pax fit vtriſque,
Ni mihi ſis, vt ego, non eris alter ego.

Arrigite nunc aures, imò animos ad veritatis cog-
nitionem dirigite, filij artis, vos alloquor, vt accipia-
tis rem aptam, et rei propinquiſſimam. Sic ſecun-
dum naturam ad generationem hominis conveni-
unt vir, et mulier, ſicut ad generationem lapidis
noſtri, forma et materia noſtra. Hæc enim in con-
iunctione

junctione suâ congruâ, benedictione illa fruuntur, sicut cætera creata, *crescite, & multiplicamini.*

Annon benedictus Deus in omnibus operibus suis, etiam tam in metallis, eorumque propagatione per causas secundas, quàm in eorum creatione per causam primam? Causam enim primam solus Deus creavit. Quare prima rerum principia remota sunt, & non in potestate nostra sita, & ob eam causam principia propinqua in causis secundis ex metallis elicimus, in quibus decocta, & ex parte fixa insunt principia, vt ex ijs medicinam, & lapidem in suo esse triangulum, & in qualitate quadrangulum conficiamus nostrum. Volentes enim dare formam perfectam corpori imperfecto, in hoc imitamur naturam, & ex re nata naturantem facimus, accipiendo causam secundam, vt generatio fiat ex proximo, & conveniente, vbi principia naturalia metallorum, fiunt principia magisterij nostri, & principales radices omnium mineralium in terra cum aqua mista, fiunt fundamenta totius artis nostræ. Sola autem forma auri in sulphure suo, & paterno suo semine, reliqua imperfecta corpora informare, & debet, & potest. Quod quidem fit, quùm per Artificis industriam aurum efficitur, generationi aptum, cum materia debita.

Balnea cornici prosunt, sed non meretrici:

Non meretrix nostrâ, sed cornix munda fit vndâ.

Ecce quod priùs dixi de viro, & muliere effectum est: solus vir virum non generat, nec sola auri forma

tutem suam potest propagare: Rebis, id est, bina res, potest. Forma enim coniuncta cum materia apta, virtutes suas potest propagare, quia duo coniuncta cooperantur, & invicem agunt, & patiuntur, donec filium generant, parentibus longè nobiliorem. Atque hæc est lapidis nostri sublimatio, vt altiùs & nobiliùs elevetur in statum longè excellentiorem, & vt metalla perficiat imperfecta. Cauendum autem est ne filij artis comedant de filio, cuius mater sit leprosa, vel pater leprosus. Si enim masculus fuerit leprosus, & fæmina leprosa, necesse est vt corpus generetur quoque leprosum. Qualis enim pater, talis filius.

Arbor naturam dat fructibus, atque figuram:
A radice mala nascuntur pessima mala.

Rosar. Mali corui malum ouum. Quarè iubeo, vt qui corpus mundum creare velint, habeant purum masculum, ab omni sorde repurgatum, vt fæmina, quę non perdidit menstruum, semen similiter recipiat purum, quia bona arbor bonos profert fructus, & ex pura substantia purum corpus, & ex puris corporibus generatio pura. Cum ergo sola fæmina non generat propter nimiam frigiditatem, & humiditatem; nec solus mas, propter caliditatem, & siccitatem (loquor de duplici natura lapidis, scilicet sulphurea, & mercuriali, agente, & patiente) coniunxerunt philosophi sperma maris cum menstruo fęminæ, & contemperarunt caliditatem cum frigiditate, & siccitatem cum humiditate, vt per reductionem con-

contrariorum, & extremorum in mediam dispositionem, sequeretur inde impraegnatio, & ortus. Hoc autem vnum silentio non praetereamus, quòd

Fæmina vult iuvenem thalamo, spernitque senilem.

Restituatur ergo, & renovetur senectus solis in iuventutem suam per reductionen in primam materiam, & Iuvenem illum Arcadiæ agilem & fortem in potestate nostra positum habemus.

CAP. 10.

Docet mutationem metalli leprosi, & imperfecti, in sanitatem, & perfectionem, & renouationem hominis impij ad sanctitatem, & fælicitatem suam.

DEsinant dehinc ignari clamare species non mutari, cum nòs de transmutatione metallorum et de eorum in primam materiam reductione, loquimur. Nesciunt enim isti, quid sibi velint philosophi in metallorum transmutatione. Nos enim negamus mutari species, invicem differentes speciali formâ, donec vnâ formâ corruptâ, artis, et naturæ beneficio inducatur altera, vbi materia formam appetens prorumpat in actum impulsu causæ efficientis naturalis, et debitis adminiculis ad renovationẽ in melius. Nam nulla metalla differunt ab auro nisi in immundicie materiæ, aut complexionis inæqualitate. Quapropter transmutare illa, est

eorum immundicias abstergere , et mundificatis
Lincol. substantiam apponere assimilatam solis in virtute, & operatione, quæ (ipsa re) ducit ab inæqualitate. Hæc autem substantia est in sua fortitudine, et de potentia deducitur ad actum, cùm sol fuerit in exaltatione sua liber ab omni malorum aspectu. Quare constanter affirmamus individua specierum in metallis transmutari posse in aurum, quia reducendo, & corrumpendo eorum substantialem materiam, eorum forma etiam corrumpi videtur, & bene, & verè permutari, vt inducatur nova forma immediatè, scilicet vltima, & à natura ab initio ordinata. Nam forma omnium eorum individuorum, quę in sua specie vnicam, & eandem in potentia acquirunt formam cum auro, facillimè perficitur in aurum, quia ex naturæ ordinatione immaturis succurrunt matura, & imperfectis perfecta, et vtraque habent proportionabilem naturam, quam im origine à mercurio traxerunt. Diversæ species animalium, diversas habent formas, sicut homo, & equus: sed diversæ species metallorum, in vna, eademque forma convenire possunt, sicut aurum & cuprum, quia specierum metallorum definitio prædicatur de pluribus, numero tantùm differentibus, sicut Socrates & Plato differunt (si ita loqui liceat) indiuiduitate, aut sicut tepor differt à fervore, non specie, sed gradu: aut sicut liberalitas distinguitur à munificentia, vbi magis, & minus non variant speciem. Quare aurum (illud nostrum quod prius in opere argentum fuit)

fuit) auream facilè tribuit naturam, virtutem, & tincturam imperfectis metallis, eorum potentiam ducens in actum. Ægrotus homo, homo est; leprosus homo, homo est, sed deficiens in sanitate: Sic & cuprum, quia leprosum deficiens in perfectione, eâdem tamen formâ manet leprosum, & sanum, tàm in metallis, quàm in hominibus, sive sanis, sive leprosis. Medicus per media naturam iuvantia, virtutem naturalem, deficientem, & morituram exuscitat vsque ad perfectam sanitatem: sic philosophus chymicus per media metallum impurum purgantia, leprosum corpus sanat, & iuvamine medicinę naturam moventis, accidentia spoliantis, & formam informantis, formam adhuc imperfectam perficit. Magna est hominum plenitudo, sed solitudo bonorum; & dicam tibi similitudinem, quoniam dabit terra terram multam, vnde fiat fictile; parvum autem puluerem, vnde fit aurum. Quarè vt hominum, sic etiam magna est metallorum plenitudo, sed solitudo bonorum: regenerantur homines, renovantur metalla, vtraque probantur igne, sed non eodem, suo tamen; vtraque purgantur aqua, sed non eadem, sua tamen; & vtraque meliora fiunt spiritu, sed non eodem, suo tamen. Ignis metalla probans dirigit nos ad purum, & sincerum dei verbum, separans incredulos à credulis, & improbos à bonis: sicut ignis, aurum et argentum purgat à fæcibus. Eloquia domini, pura; sicut argentum purum, igne septies purgatum. Aqua metalla abstergens, refert

Esdr. lib. 4 Cap. 8.

Ps. 12.

 nos

nos ad aquam abluentem peccata per Christum Iesum dominum nostrum: spiritus auri, et perfecti metalli, meliora reddens imperfecta metalla, dirigit nos ad sanctum dei spiritum, per quem solum meliores, et sanctiores, et fæliciores indies fiunt ij, in quibus habitat sanctissimus ille dei spiritus. *Nihil* est ferè in lapide nostro, quod nos non refert ad verum lapidem angularem, quem reprobaverunt ædificantes, et ob eam causam dicitur, quòd lapis noster aut reperit, aut reddit virum bonum, et sanctum. Natura omnes homines ad sanitatem, et omnia metalla ad perfectionẽ suam producere contendit. Interea non dicimus quòd species in species mutantur, nec argentietas in aurietatem; sed dicimus quòd individua specierum, corruptioni obnoxia, et ad novam generationem apta, mutantur, & transformantur, quia imperfecta, & corrupta, mutabilia sunt, & transformari possunt: adeòque faciliùs, quia omnia materialia metallorum principia sunt homogenea: & ipsum aurum *Nihil* aliud est quàm argentum viuum anatizatum, id est, adęquatè digestum. Omnium verò metallorum materia & sperma est mercurius in ventre terræ inspissatus calore sulphureo ipsum decoquendo, & secundum varietatem sulphuris. Prima autem materia est vna & eadem: ipsa tamen differunt sola ratione accidentali & in decoctione maiore, vel minore, temperata, vel intemperata, adurentę, vel non adurente. Et sic concorditer asserunt omnes philosophi. Et licèt

Thes. philo.

inperfecta

imperfecta sint aliqua metalla, vt plumbum, stannum, æs. &c. Ea tamen sunt quasi abortiva, & loci vitio fiunt, non naturæ. Quamvis enim habent formam suam substantialem in specie, in qua sunt, eam tamen habent relatione ad vltimam, & meliorem formam quam desiderant & ad quam ordinantur à natura. Neque enim forma accidentalis obstare potest, quo minùs optima, & vltima substantialis forma possit induci. Finis coronat opus. Ovum acquirit formam suam, & eadem essentialis est forma, sed imperfecta: perficitur autem in generatione pulli, qui vltimum formæ perfectæ assequutus est terminum· Ovum nostrum habet in se, sicut ovum pulli, & citrinitatem, & albedinem, & suam testam. Citrinum nostrum est in sulphure nostro rubeo non vrente, & albedo nostra in depurato argento vivo, adustionem non habente. Albedo circundat, & solvit citrinum: citrinitas coagulat album, vtraque putrescunt, & in putrefactione coniuncta generant, & excludunt pullum suum, elixir scilicet certum & optimũ ad rubrum, quod sui simile potest producere in infinitum, sicut habent gallus & gallina suos pullos infinitos. Etenim alchymia naturam æmulatur, & potest similia producere, & etiam perficere in summam perfectionem metalla, quæ per aliquod accidens vllo modo ad maturitatem, & perfectionem non pervenêre. Plumbum, stannum, cuprum, ferrum, in visceribus terræ ad finem, & vltimum suum terminum non pervenerunt, impedita

loci

loci vitio, terræ ſcilicet denſitate à ſole remota, & metallorum lepra, quæ medium eſt interveniens ante perfectionem acquiſitam. Vnumquodque autem eorum arte poteſt reddi perfectum, et tale quid effici, quale natura voluit, non obſtante accidente, priùs diſponente illud in imperfectum. Terrâ interſtante inter ſolem et lunam, fit eclipſis: ſic groſſæ terræ obſtaculo, non luminoſa, ſed leproſa; non ſplendida, ſed tenebroſa fiunt metalla. Diverſa accidentia diverſa faciunt metalla, differentia viſibili forma, ſpeciali, et (ſi velitis vt ita dicam) eſſenſifica, ſed ratione ſola puritatis, & impuritatis fixionis, et corruptionis. Sicut autem ſol cæleſtis calefacit terram, atque eius virtutem imprimit terræ, mediante lunâ, quę inter reliquos planetas maximè participat de ſolis lumine: ſic craſſæ, et tenebroſæ terræ in metallis imperfectis, ſol centralis nōſter tincturam ſuam perficit mediante luna noſtra, et imprimit metallis priùs imperfectis, leproſis, groſſis, et tenebroſis, lumen, raritatem, ſanitatem, et tincturam perfectiſſimam.

CAP. II.

Ars, & natura perficiunt lapidem in puriſſimis eorum partibus, quæ ab igne non conſumuntur.

SIve imperfectum, perfectum; ſive ipſum perfectum, magis perfectum, et in ſtatum longè meliorem,

rem, & præstantiorem elevare, & sublimare volumus, certiores omnes facio, alchymiæ artem in his producendis, & perficiendis esse, quasi naturæ obstetricem, manus auxiliatrices naturę porrigentem, vt cum iusto tempore in opere nostro physico (operâ nostrâ philosophicâ) fætus in vtero matris ad partum venerit, ope obstetricis, (ministerio scilicet artis) natura pariat, & producat per media naturæ consentanea prolem suam. Hoc autem effectiuè, & principaliter fit per naturæ impulsivam operationem, sed instrumentaliter & organicè servitio ministrantis artis. Ars enim parturienti opem fert, vt cum facilitate pariat. Arte etiam humiditas perfecti metalli vnctuosa, & non cremabilis, priùs pręparata, & perfecta, potest postea artificis ministerio, omnia corpora, quæ tangit, perficere, maximè autem lunam, in verissimum solare complementum. *Rosar.*
Nam sol noster, planetarum nobilissimus, & veram habens solis cælestis proprietatem, lumine, calore, & radijs (quæ tria sunt principia naturalia vegetabilium, & vitæ animalis) tincturam dat rubedinis, transformantem omne corpus metallicum; quia aurum, (in quo sol noster fermentum est, totam massam convertens ad suam naturam) animam in se habet coniungentem spiritum cum corpore. Quare naturam sequantur artifices, qui errare nolunt, & diligenter perpendant, quòd in rerum natura duo sunt quærenda, quorum vnum est, quæ materia sit, ex qua quæque res efficiatur; alterum, quæ *Cic. de finib.*

vis ſit, quæ quicquam efficiat. Natura enim vis eſt, quam non opinio genuit, ſed ſupernaturalis quædam dei potentia rebus indidit. Benedicta ſemper in deo optimo maximo & à deo ſit natura, benedicta lex eius, & benedicta operatio eius in verbis domini, creſcite, et multiplicamini; quia de imperfecto producit perfectum, & de ſemine creaturam, tam animalem, quàm vegetabilem, & mineralem in infinitum. Atque ſic metallorum fit multiplicatio, ſicut vnius grani procreantis grana mille, & vnius arboris ferentis fructus infinitos, vnde etiam poſtea fiunt arbores, & ramuſculi infiniti. In terra quæ naſcuntur, in terra creſcunt, & à terra augmentationem, & multiplicationem ſuam conſequuntur. Vna autem terra, aliâ eſt fertilior, & eligibilior, ſcilicet noſtra, quæ nunquam fit ſterilis, & infrugifera, ſi aqua ſua cęleſtis ſuper eam diſtillet, & in eius profundum penetret.

Ars & natura hæc faciunt: ſi deficit vna,
Caſſa erit alterius, quamvis miranda poteſtas.

Quapropter, (vt valedicam philoſophorũ *Nihilo*) (nigræ enim mortuorum tenebræ mihi non placent, niſi quatenus ſunt rectiſſima, & certiſſima ad vitam via) iubeo, vt ſumatur puriſſima pars eorum, quæ ab igne conſumi, deſtruiue non poſſunt, vt præliando alterum eorum corrumpat alterum, ab omni ſorde priùs purgatum, vt meliùs tranſmutari poſſit: Alterum verò ad primam materiam reductum, aptum fiat ad generationem. Hac reductione ſolvitur corpus

corpus in ſpiritum,& ſpiritus fit corporeus. In ſolutione autem iſtâ terra fit nigra, vilis, & fętens, ita vt *Nihilo* noſtro nihil putidius videatur.

Sed natura graui iamdudum ſaucia curâ,
Vulnus alens venis, putredine quæ moritura:
Nunc caput attollens, expulſis hoſtibus, illa
Sola ſedens, Regina potens, dominatur in aulâ


Quapropter clara morituri corporis aqua lavat terram, vt mundificetur & dealbetur; dealbata terra calcinatur in cinerem, vtraq; in cinere coniunguntur, quæ priùs ſeparata erant; in coniunctione fit conceptio, dominante perfecto corpore, & trahente imperfectum in naturam ſuam; poſt conceptionem fit prægnatio, calore, & augmento ſeminis perfecti corporis in imperfecto, & tandem tempore debito fit ortus lapidis noſtri venientis ab igne, & habentis patrem ſolem, matrem verò lunam. Grauia & leuia, mollia & dura, calida & frigida, humida & ſicca inter ſe concordiæ pace à natura ligata & congruè deſponſata generant ex ijs ſubſtantiam temperatam, quæ perpetuum (quando perficitur) habet effectum, & ſpiritu ſuo omnem rem ſubtilem vincit, & omnem rem ſolidam penetrat. Quod autem ad nutritionem infantis noſtri attinet, donec ad virilem ætatem pervenerit, volo, vt nutrix aliqua mundiſſima, & puriſſima paretur, quæ lacte puro, & proprio natum noſtrum nutriat, donec ad ætatem veniat perfectam. In eum etenim finem eſt lapidis noſtri nutritio, ſublimatio, & exaltatio, vt

maiorem vim, et virtutem obtinere, et possidere possit. Interea animadvertendum est, quòd in procreando infante nostro nobiliora elementa scilicet ignis, et aer, activa sunt; passiva verò, terra, et aqua; quorum qui novit alterationem, nouit Philosophorum arcanum. Nam in alteratione elementorum, manifestum corporis fit occultum, et occultum manifestum, altum profundum, et profundum altum. Quarè convertite elementa, et quod quæritis, invenietis. Dominatur terra? regnet successivè aer: regnat aer? dominetur aqua: dominatur aqua? regnet ignis: hic enim terrenus, aereus, et aqueus ignis, est calx viva, calx ignea, calx agens, fixa, et figens, ignis subtilians, penetrans, transmutans, resuscitans, vivificans, purificans, illuminans, et consolidans. Nam ignis noster in calce nostra imperfectum corpus subitò virtutis suæ vi amplectitur, et in illud, tanquam leo fortis dominium excercet suum, ipsumque dilaniat, dilaniando penetrat, penetrando subtiliat, subtiliando transmutat, transmutando resuscitat, resuscitando vivificat, vivificando purificat, purificando tingit, tingendo illuminat et illuminando con solidat: ita vt corpus priùs imperfectum, nunc ad perfectissimum metalli perfectissimi statum natum esse videatur. Quarè vt finem nostro *Nihilo* imponamus, et ad *Aliquid* tandem promoveamus, ne nihil omnino egisse videamur, omnes preciosissimæ huius artis filios iterum, atque iterum rogo, vt diligenter, et diu deliberare velint

ſint ante inceptum opus, primò quid ſit quod quæ-runt, tum quo modo quæſitum inveniant. A fine intentionis quærendum principium, et á principio finis. Qui domum ædificat lapideam, ad ſtructu-ram talem capit lapides, qui ex ligno ædificat, ad ſtructuram illam capit ligna; et boni principij plę-rumque bonus exitus, et fundamenti ſtabilis firma domus. Quare,

Vt tibi fælicem reddant exordia finem,
Inveſtigetur res, quæ tractanda videtur.
Dimidium facti, qui bene cæpit, habet.






ALIQVID.

CAP. I.

Philosophorum Aliquid *ex* Nihilo, *tanquam flos ex ariditate, docet ex Christi humilitate eius bonitatem, & gloriam: sed sine Cristi cognitione omnem philosophiæ scientiam esse vanam, & invtilem.*



A Septentrionis caligine, vbi diu post solis occasum in tenebris versati sumus, *Nihil* invenientes, progrediamur hilari vultu ad Orientem, vbi spes in herba, terram nostram pluviarum guttulis guttatim irrigantibus: Philosophorum enim *Aliquid*, idq; maximi precij, apparet. Si quis peccatis obnoxius lachrymas exprimit, statim dicimus quòd gratię divinę testimonium exhibet, deo duce; sic divina vis, rebus insita, cùm semel per aquæ guttulas in lucem prodit, *Aliquid* philosophorũ emergere cogit, & ostendit, naturâ duce. Atque hoc *Aliquid* in rebus omnibus est longè præclarissimum. Est enim lux, splendor, & lucerna sub modio olim posita, at philosophi operâ nunc posita super

can-

candelabrum, vt tota domus reluceat, & vt quod natura perfecit, ope artificis, incrementum, & maiorem perfectionem, & excellentiam recipiat. O vtinam liceret mihi artem hanc divinam appellare, quam scio veritatis divinæ humilem, sed veram pedisequam. Perpendite viri sapientes, & veritatis inquisitores, quo modo lapis noster ex *Nihilo* post ariditatem, & mortificationem suam, sublatâ penè omni spe, tandem tamen in lucem prodit, exurgens, & exultans. Demonstrat certè meditatio, & investigatio nostri *Nihil*, omnipotentiam & misericordiam dei, & tanquam Mercurialis statua viam indicans, prædicat & demonstrat nobis, iter facientibus à terris ad cælum veram viam, & veram vitam, Christum Iesum dominum nostrum, verum Messiam, crucifixum, mortuum; sed resurgentem, & in cælis triumphantem, saluatorem verum. Annon cæli enarrant gloriam dei, & in terris manifesta sunt opera Omnipotentis? Legite, & sæpius legendo
Is. Cap. 11. perpendite, (viri boni) vndecimum capitulum Isaię Prophetę; vbi, inquit Propheta, egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Annon tunc temporis tota Iesse familia, licet priùs a Davide, regia, splendida, & supereminens; nunc autem paupertate, & quasi ignominia laborans, tanquam radix sine trunco, aut truncus sine ramo, aut ramus sine folio, aut folium arescens, imò aridum sine flore? Et tamen de radice illa, quasi mortuâ, & aridâ, egressa est virga, imò virgo, beatissima, scilicet, inter

virgines

virgines, Maria, ex qua natus est Christus Iesus dominus noster, verus Messias, & salvator credentium, flos, nimirùm, ex ariditate, homo sine homine, sertum electorum, corona angelorum, & flos virtutum? Inter Ethnicos, & incredulos hoc á veritate alienum videtur, sed credenti certum, imò certissimè factum. Quod etiam alchymia docere, & quasi digito demonstrare videtur in philosophorum *Nihil*, producente *Aliquid*, imò *Omnia*, quæ ad metallorum sanitatem, & perfectionẽ pertinere videantur. Vermis sum, & non homo, cinis, & terra: quare humillimè peto vt ignoscat mihi dominus meus Christus Iesus, quòd per philosophorum *Nihil*, humilitatẽ; per eorum *Aliquid*, bonitatem; per *Omnia*, maiestatem, & gloriam domini mei aliquo modo depingere ausus sim. Solent divini verbi mysteria, per terrestria, cœlestia; per caduca, immortalia; & per interitura, æterna, aliquãdo docere. Sic pia meditatio Ierusalẽ civitatis in sua captivitate, ad cœlestem & liberam in cælis cum liberis suis civitatem nos ducet. Et elevatus ille æneus serpens, Christum Iesum crucifigendum prædicat. Quid ni etiam secreti philosophorum spiritus notio, nos ad meditationem, & cognitionem Mannæ absconditæ exci- tet; & ad quærendum fermentum illud conditum in multa farina, donec tota fermentaretur, invitet; & Mat. 13. ad inveniendum thesaurum, occultatum in agro, vt illum emamus, inducat. Si Dionysius Areopagita homo ethnicus tam procul à Christo passo, ec-

lipsin solis, & tenebrarum crassitiem intuens (vt memoriæ proditum est) dicere auderet quòd vel deus naturæ tunc patiebatur, vel mundi machina tunc dissolvenda erat: Quidni etiam dicamus, quòd sonus Christi, ante, & post eius nativitatem exivit per totum terrarum orbem per antiquissimorum philosophorum aliquos, quos voluit Christus salvari, quia aliàs sine fide fieri non potuit, vt placerent deo, vel salutem consequerentur. Sed novit deus, qui sunt sui; & solidum illud stat fundamentum, Novit deus qui sunt sui. Obsignaculum enim hoc est certitudinis salutis nostræ in deo per Christum, quod quidem in illis certissimè obsignatur, & imprimitur, qui credentes discedunt ab iniquitate, electionem suam sibimet ipsis certam facientes. Non possum non obitèr agere Episcopum prędicantem Christum Iesum in tractatu meo philosophico, & credo quòd in sanguinolentissimis crudelissimorum Imperatorum temporibus primitivę ecclesiæ christiani philosophi poterant absque periculo, aut tyrannorum metu Christum verum Messiam figurativo, & ænigmatico lapidis nostri sermone in colloquijs suis, & per literas profiteri, præsertim in ijs, quæ ad Christi officium sacerdotale, & regale pertinent. Et magis huic opinioni faveo, quia divus *Iohannes* Euangelista ab *Avicenna* libro de anima, dictione prima, ad finem capitis septimi, & à *Vincentio* in speculo naturali (vti asserit *Robertus Vallensis* de veritate, & antiquitate artis chymicæ) inter

Christi-

anos qui artem chymicam exercuerunt, enume-ratur. Et licèt cum *Avicennæ* sententia aliorum opinio pugnare videatur, tamen christianorum philosophorum assensus à veritate non dissentit, qui docent,& dicunt lapidem philosophorum typicè demonstrare, & prædicare lapidem illum angularem Iesum Christum, veram ecclesiæ suę petram, veram salutis & uitę æternę portam, verissimam,& solam peccatorum nostrorum purgationem. Nec est in aliquo alio salus, nec fundamentum aliud potest quisquam ponere, pręter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, lapis angularis summus: super quam petram ędificata est ecclesia Christi,& portę inferni non pręvalebunt adversus eam. Cuius rei consideratio calcar addidit meditationi Riplei Angli, dicentis, philosophorum lapidem ex purissimis compositum, vt ignobiliora metalla liberentur a spurcitie sua originali, prædicare nobis Christum Iesum lapidem illum angularem purissimâ virgine natum pro nostra redemptione; & nostrum solem radios sui luminis pro tempore relinquentem, & abscondentem gloriam sub alis lunæ, quam posteà splendore suo fulgere facit, prædicare nobis Christi splendorem inenarrabilem, scilicet, deitatem suam absconditam à visu nostro, quando naturam nostram suscepit, vt eam gloriosam, sicut ipse gloriosissimus est, faceret & renovationem, siue resurrectionem lapidis nostri apparentis in claritate orientali incomparabili post mortem, sepulturam,

& densissimas suas tenebras, prædicare nobis Christum lapidem illum summum angularem, passum, mortuum, sepultum, descendentem ad inferos, sed resurgentem propriâ, & maximâ suâ virtute, & indutum immortalitate, & gloriâ: Denique solem nostrum factum lapidem nostrum, abeuntem in suam gloriam, ita vt infirmos homines omnes iuvare, & leprosa metalla omnia sanare possit; prędicare nobis Christum solam salutis humanę petram, à terris ad cælos ascendentem, vt ibidem nobis credentibus locum præparet, vt cum ipso lucentes efficiamur clariùs quàm ipse sol. Si enim tanta divinorum mysteriorum virtus sit in arido, quid in viridi? si in lapide nostro, quid in lapide Chrsto? si in verbis philosophorum, quid in sermone Christi, et Apostolorum? Vellem libenter bonis avibus ad philosophorum *Aliquid* describendum celeriter, imò citissimè advolare, sed aliquid divini animum meum intensè acuentis, à celeri meo cursu me adhuc detinuit. Quapropter à bonis, & sapientibus viris veniam peto, qui revocâvim mentem meam à sensibus, & cogitationem meam à rebus corrumpentibus, vt cum sollicitudine inquirere possem Christum Iesum Dominum meum, quem animus meus amat, quia in eo, & per eum animus meus animat. Itaquè à proposito philosophico paululùm deflectens, sed omnino non devians, ingenuè fateor omnes philosophos, quamvis doctissimos, sine vera Christi cognitione, fuisse tantum, quasi noctilucas

ni-

nitentes, & ſplendentes in tenebroſiſſimo noctis tempore, quæ cùm manè ſol oritur, obſcuræ factæ ſunt & ſplendorem ſuum veluti fictitium exuunt.

Sit neſcire tibi, ſine Chriſto plurima ſcire:

Si Chriſtum benè ſcis, ſatis eſt ſi cætera neſcis.

Philoſophi, licèt doctiſſimi, ſine cognitione, & agnitione Chriſti, & ſine vera in Chriſtum fide erant, ſunt, & erunt, tanquam Scribæ, & Phariſęi, quibus dictum eſt *Amen, Amen*, habent mercedem ſuam, mercedem, ſcilicet, apud homines, non apud deum, mercedem humanæ rationis, & intelligentiæ, humanæ cognitionis, & doctrinæ, humanę denique glorię, et applauſus populi. Philoſophi ſine Chriſto, putantes ſe aliquid ſcire, non ſciunt, quemadmodum oportuit eos ſcire; ſed philoſophi verè Chriſtiani reverà ſciunt, quatenus datum eſt ijs ſcire myſteria, donec poſt hanc vitam, perfectè ſciant, ſicut ſciuntur ipſi. Philoſophus ſine Chriſto multa, quoad naturam, et rationem ſcripſit, in ſcriptis tamen, et in dictis ſuis quamplurimis,

Futilis ille fuit, perſuaſa turgidus arte:

Philoſophus autem Chriſtianus

Scit præter Chriſtum, plurima, ſcitque nihil.

Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Chriſti &

Iſte quidem nihil eſt, aliquid qui ſe putat eſſe:

Sed homo verè Chriſtianus ſapit Chriſtum, &

Eſt aliquid, quoniam, ſe putat eſſe nihil.

CAP.

CAP 2.

Sapientia divina naturali anteponenda, naturalis humana, humana dæmoniacæ; demoniaca etiam sapientia conatur humanam, humana naturalem, naturalis divinam destruere.

Cardan. INtelligamus itaque sapientiam, & cognitionem, aliam esse divinam, aliam naturalem, aliam humanã, atque aliam dæmoniacam. Divina illa in naturali dominatur cum gratia ad animæ salutem; naturalis verò inservit divinæ cum obedientia ad futuram gloriam. Novit sapientia divina, quomodò naturalem instruat fæliciter: novit sapientia naturalis, quòd omne bonum, & perfectum donum est de cælo desupèr. Dæmoniaca autem sapientia dominatur in humanis cum invidia ad animæ perditionem; humana etiam sapientia inservit diabolicæ cum vili servitute ad futuram damnationem. Novit sapientia diabolica, quomodò humanam seducat infæliciter: novit sapientia humana, quomodò alios fallat, sicut ipsa fallitur diabolicè. Quare
Rom, I. v, 18. palam est ira dei à cælo adversus omnem impietatem, & iniustitiam hominum, qui veritatem iniustè
19. detinent, quoniam quod de deo cognosci potest,
20. manifestum est in ipsis. Deus enim eis manifestum fecit; ipsius enim invisibilia, dum ex rebus cognitis intelliguntur, ex creatione mundi perspiciuntur,

æterna

æterna,videlicet,eius tum potentia tum divinitas in hunc finẽ vt sint ipsi inexcusabiles,propterea quod quum Deum cognoverunt, tamen vt Deum non glorificaverunt, sed vani facti sunt in ratiocinationibus suis,& obtenebratũ est desipiens cor eorum, *Verſ.21.22.* quum se profitentur esse sapientes,stulti facti sunt. Perpendamus paululùm,nec *Aliquid* hoc magnum in divinis prætereamus, priusquã naturale philosophorum *Aliquid* depingamus.Nam voluit deus vt omnes homines ad veritatis cognitionem pervenirent, & animarum suarum consequerentur salutem. Sed Diabolus primos fallens parentes,& nos quotidiè fallit,dicens, eritis sicut dij: Sic sapientia diabolica humanã instruit,humana à diabolo edocta naturalem destruit, destructa naturalis,divinã in oblivionem demergit, imò odio prosequitur. Quãobrem tales tradit Deus cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, & ad mutationem veritatis *Verſ.24.* in mendacium. Sed sapientia divina præbet illustre, & perspicuum speculum naturæ ęternæ omnipotentis dei in naturalibus, & in rebus creatis, ita vt naturalis sapientia à deo suffulta, in humanã, à deo alienã non coincidit,nec à vero dei cultu,aut à principijs divinis ad absurdissima diaboli commenta humanâ sapientiâ sustentata,deficit.Igniculi virtutis, & divinę lucis, Deo duce, solent in ignem ardentem, & zeli flammam per fidem in Christum prorumpere. Sed duce diabolo, relicti in nobis igniculi penitus extinguuntur, & per diabolum decepti homines,

nes, Deum fortaſſis agnoſcunt in Dei operibus, ſed omninò Deum negant in ipſorum operibus. Quarè non conemur per dæmoniacam ſapientiam, humanam attingere, nec per humanam naturalem obtinere, nec omninò per naturalem divinam conſequi. Præclarum & inſigne dei donum eſt divina ſapientia, ſed qui cum Magis non venit ex oriente adoratum Chriſtum, is ſtultèſcit cum plebe, cum Iudęis, cum inſipientibus & cum infidelibus. Sapere autem iudicetur qui Magiam divinitùs hauſtam habet & profitetur. Laudo occultam illam Naturæ ſapientiam quæ eſt donum dei. Si cum illa humanam ſapientiam conferamus, nihil pręter meram ſtultitiam inveniemus. Illam autem Magiam ſiue Sapientiam quam Dæmoniacam vocamus, illicitam, ſuperſtitioſam, ab eccleſia Chriſtiana veraque Religione prohibitam, & nullibi locorum tolerandam damnamus. Talis ſapientia ſiue Magia eſt Nigromantia quę nefanda eſt ars & penitùs explodenda. Qua diaboli maligniq; ſpiritus aſtutè ſe cogi fingentes hominibus vltrò famulantur, ſed in eorum perniciē & non aliter. Nocti potiſſimùm deſtinata eſt hęc magia, quia lucē fugiunt maligni ſpiritus, vmbrarumq; ſunt miniſtri ac tenebrarum. Sed feſtinanter hinc fugiamus & deſcendamus per gradus certos à Deo ad naturam, & aſcendamus à natura ad Deum per ſcalam *Iacobi*, vt humanam ſapientiam prorius à Deo alienam reijcere, & Dæmoniacam devitare ſemper poſſimus. Eant, eant ſanè ij ſoli ad

Aſtaroth,

Astaroth, qui deum in Israel non habent. At verò

Emicat ex ipsis divina potentia rebus,
Et levis est cespes qui probet esse deum.
Floribus e medijs spirat divina potestas,
Quæ pascente levis pabula passer habet. Quapropter
Ter fælix, qui sancta sapit benè facta Iehouæ,
Ter fælix natura sagax, si sancta sequatur: Sed
Infælix hominum, quæ sit sapientia fallax,
Infælix, Satanæ qui non vitaverit artes.

Sophistas non curo insipientes, qui se ipsos om niū sapientissimos profitentur quorū recepta plerumquè omnia sunt in fraudem composita, sicut ab hæreticis inventa, vt eorum nequitijs & fallacijs etiam boni viri à recta veritatis via deflectere cogantur. Isti prædicant se *Omnia* scire & intelligere, nihil Sapientiæ eos latere, cum nihil præter astum fastumq; spirent illorum verba. Quorū si negemus principia, debile istorum ædificium, lubrico & ruenti fundamento innitens, corruit. Interea Sophistarum & cacochymistarum dolus, & artis auriferæ abusus, ipsi Alchymiæ arti non infert vitupe-rium, nec tollit eius substantiam, vt in confessione sua Henricus Kunrath rectè asserit, aliàs, inquiens, verbum etiam dei propter hæreticorū abusum iam diu quoq; factum esset hæreticū. An probę et liberales artes propter Artificū abusum damnatę? An Iuris prudentia propter Rabulas? An Medicina propter veneficos? An Theologia propter schismaticos? Separentur potiùs paleæ à granis in area, mali pis- *Arson. de Iure Alchymiæ.*

ces à bonis in sagena, & adulterini nummi à probis in Republica Impostores, falsarij, sophistæ & nebulones damnandi sunt, sed non philosophi veri in quorum scriptis quærenda veritas, magna, & prævalens; etiam magnatum mandato conspurcata & damnata, prævalens; infidelium voluntate, & potestate conculcata, prævalens; hæreticorum abusu, & sophistarum iniurijs oppressa, prævalens; etiam in cineribus abscondita, & in terris quasi mortua, præter spem tamen semper prævalens. Quapropter rei veritati sedulò, & semper incumbendum, ne seducti vanis opinionum erroribus, ad finem, quem quærimus, nunquam perveniamus. *Omnia* autem consequemur, si per *Aliquid* progrediamur.

CAP. 3.

Nostrum Aliquid *est aqua à terra extracta, & in terram remissa, vt fertilem reddat eam.*

NOstrum *Aliquid*, de quo nunc fit sermo, est instar fili Ariadnes, quod ex abyssi labyrintho nos veluti manuducet. Hoc filum ex tenuitate aeris compactum est, tenue, & quasi impalpabile, à summitate tecti meniorum decurrens ad ostiũ vnde priùs exierat, iterum rediens. Ascendit enim fumus subtilissimus qui circumvolando convertitur in aquam limpidam, Atque hoc modo ventus dicitur portare lapidem in ventre suo. Hic enim

enim ventus aereus eſt, imo ipſe aer, qui per exhalationem humidam in vapore circumfertur, donec in elementum aquæ tranſmutetur, quæ per deſcenſum, aridam, & inanem terram ita reddit fertilem, vt flores tam aureos, quàm argenteos mirum in modum poſſit proferre.

Quid prohibetis aquas? vſus communis aquarum eſt. Videte itaque viri ſapientès, quomodò Alchymia in omni ferè ſuo ſtatu rerum divinarum agit pediſequam. Etenim quid ni confidenter dicam, operatione, & effectu humiditatis aquæ noſtræ, doceri nos, olim placuiſſe, & adhuc placere ſapientiſſimo, et potentiſſimo rerum conditori, vt ſpiritus domini incubaret aquis, vt per eum in eius benedictione omnia creata multiplicationem ſuæ ſpeciei propagarent? Solus autem humidus halitus in opere philoſophico ad conficiendum lapidem non valet, nec in ipſa natura ad procreandum *Aliquid* valet, niſi materiã aptam inveniat, et propinquam, quam philoſophi terram vocârunt, eamquè ſiccam, aridam, et infrugiferam ſine aqua ſua. Humido autem cum ſicco, et ſicco cum humido aptè, et naturaliter coniuncto, materia, et forma, aqua, et terra, cooperari poſſunt in augmentationem per putrefactionem corporis, & ſpiritus in calido & humido. Aliter ipſa materia per ſe, aridum, & ſterile corpus manet, & *Aliquid* non poteſt conſtituere, quia nihil poteſt ſine humore ſuo, & aqua mercuriali ſua, in qua lapis. Quapropter in opere philoſophico pro

conficiendo lapide elevetur vaporosa exhalatio supra terram, vt ad terram suam rediens,& cum terra sua cooperans, atquè agens in patientem terram suam reddat fertilem, & fructiferam. Nam teste
Morien. Morieno, tota operatio nostra nihil aliud est,quàm extractio aquæ à terra, & huius aquæ super terram remissio. Itaquè aer (de quo priùs diximus) ambiens, & circumvolans transit in aquam, quæ vniuscuiusque etiam tenuis guttulæ vicissitudine,corpus inferius mortuum penetrat,& illud vigere,vivere,& vegetare facit, ità vt ex terra mortua, & auro mortuo vivum reddat. Atquè hic aer, sive ventus,portans lapidem in ventre suo, testis est venti,sive auræ
Otreb. tranquillæ tempore Eliæ, in qua dominus: & lapis non in spiritu forti destruente lapidem, prædicat dominum non in spiritu forti subvertente petras: & lapis, quem quærimus in tranquillitate, prædicat dominum non in igne devorante: sed aer, & tranquilla, & amica venti nostri aura,lapidem & thesaurum in se gestans, prædicat nobis tenuem, & quietum auræ sibilum, in quo dominus. Certè aer, & ventus ille planè cælestis continet in se aquam benedictam, à qua stillæ quædam emanant, & in illis stillis ros est cœli madefaciens terram,&thesaurus, priùs absconditus,palam conspiciendus,gestans claves veras ad omnes divitias. Illarum enim ope aperitur porta priùs firmiter clausa, vbi preciosissima inclusa erant,& incarcerata. Difficilia,quæ pulchra; & preciosa quæque plerumque sunt abscondita; est

lapis

Est lapis occultus, & in imo fonte sepultus.

Sed in cavea minùs benè canit luſcinia. Quare libertas perdulce bonum.

Quàm bene ſint clauſæ cavea Pandione natæ,
Nititur in ſilvas quæque redire ſuas.

Annon adhuc philoſophorum *Aliquid* detectum, planè pleneq; conſpicitur? An adhuc eorum abſconditum ſapientiæ filijs ignotum? Legantur ſępius philoſophorum libri, et recta intelligentia, et iudicio perpendantur præcedentia, et ſubſequentia ſcripta mea, fatebitur proculdubiò aſſiduus, et intelligens lector, me ſpeculum veritatis myſticę nudum, clarum, & perſpicuum propoſuiſſe, & tenebrarum caligines omnes diſpuliſſe. Etenim doceo, vt incluſus ſpiritus libertatem conſequatur, vel ſaltem liber obambulans turrim circumvolet, in qua incarceratus eſt, vt liber factus mira efficiat. Nec mirum, quia ſpiritus liberatus, liberè & libenter operatur: detentus autem, & incarceratus, omnino nihil, vel ad rerum propagationem, vel ad aliorum ſalutẽ, vel ad dei gloriam. Annon dei creatoris gloria per rerum propagationem? Annon propagatio per ſalutem? Annon ſalus per libertatem? Annon libertas per ſpiritum? Quicquid liber ſpiritus liberat, verè eſt liberum.

Libertas animæ cibus eſt, & vera voluptas,
Qua qui dives erit, ditior eſſe nequit.

Loquor de libertate pinguis & nobilis, ſed penè invtilis ſervi, donec mercurialis, ſpermaticus, & tenuis eius ſpiritus liber factus veram verarum divitiarum

vitiarum pinguedinem, & oleeginitatem pariat. Quapropter ſit ſpiritus liber, & quod quæritis, inuenietis. Si aurum, in ſpiritu auri, ſi argentum, in ſpiritu argenti. Placuit enim primo, & ſummo rerum creatori, vt vnaquęq; forma formam ſuam propagaret in ſemine ſuo. Hinc natura, & naturans, & naturata. Naturam autem naturatam, quę ſecunda eſt rerum cauſa, excitare debemus, vt vlterius promoueatur, & vt ea etiam quodam modo, naturans vocetur, & naturatum aliquid ab ea expectemus in infinitum. Vnumquodque enim naturatum, etiam eſt naturans, Dei benedictione, artificis opera, & ſeminis virtute. Hinc *Nihil* noſtrum, non adhuc in rerum conſpiciendarum natura exiſtens, *Aliquid* producit, & *Aliquid Omnia.* Reductione autem *Omnia ad Nihilum* iterum tendunt, vt *Nihil* ad *Aliquid* itertum promoveatur, & *Aliquid* viciſſim ad *Omnia.* Vnde in circulo *Omnia.*

Qui non curaret, pluſquam natura rogaret,
Diues ſic eſſet, quia res ſibi nulla deeſſet.

Fernel. lib 2. Cap. 18.

Huius rei rationē reddit doctiſſimus ille Fernelius lib. 2. de abditis rerum cauſis: Nihil, inquit, eſt in vlla naturæ parte, quod non in ſe generis ſui ſemen contineat, ſed vix poteſt arte prolici; ex ſolo autem auro poteſt. Cum enim maxima vis ſeminis in oleo quodam inhæreſcat, id, quod in cæteris inflammari cremariquè ſolet igne, in auro non poteſt; qua ex cauſa nullius ignis ardore torreri, abſumive poteſt, ſed omnis artis vim tolerat. Oleum certè iu-

incombustibile hoc est,& sal fusibils, quæ qui habet (inquit Raymundus) laudaret deum, quia postea oleum tingit, quod aqua priùs abluit. Raymond.

CAP. 4.

Aqua nostra spiritus est igneus, Aliquid *nostrum, (semen, scilicet, suum) in se portans ad generationem sui similis, si in prima mistione plus aquæ, quàm par est, non abundet.*

VOs vero qui non adhuc intellectu comprehenditis, quæ auri conducunt generationi, scitote, quod ex ipso auro frugiferum semen, purum, et sincernm potest elici, in quo occulta, & summa vis inest. Et licet difficilis videatur extrahendi via, extrahi tamen potest. Negari enim non potest, metalla, quæ frigore, & siccitate concreverunt, humore, & calore solvi posse, ita vt

Vndique per montes currunt in flumina fontes.

Contrariorum enim contraria est ratio. Quamobrem igne, & aqua opus est, scilicet, azoc, & igne, vt semina, & spiritus incarcerati metallorum, contraria, et crassiore materia fortiter detenti, secernantur, qui si ritè secernantur à terra sua (teste *Marsilio Ficino*) ex seminaria virtute sibi simile generare possunt, quando materię adhibentur eiusdem generis. Quapropter cùm philosophi invenissent metallica corpora penes decoctionem maiorem, aut mino-

minorem discrepasse, omniumque metallorum mercurium primam fuisse originem, excogitarunt Ign. ~~Im.~~ *Auth. de Art. Chym.* extrahere metallicum auri, & aurum ipsum ad primam materiam reducere, vt inducerent eius lucem, & nitorem imperfectis metallis: Et cum reductio talis, facilis & possibilis sit, conclusum est à philosophis, transmutationem quoque in metallis facilem, & possibilem esse. Atq; hinc Physici aurum efficiunt philosophorum virtute cælesti planetæ variabilis, & conversiui. Iniquissimum certè (me iudice) esset, sola metalla, naturæ & seminis beneficio priuari, vt ad generationem sui similis promoveri non possint, sicut cætera creata. Noverca esset natura si tyrannidem talem excerceret in metalla sola, eaq; incarcerata, & sterilia semper detineret. Sed benedictus semper dominus, à quo metalla creatione profluunt, in quo dominio præsunt, ad quem conservatione, & propagatione respiciunt. Ars autem promovet eorum naturam, et perficit naturæ opera, nè in metallis fine suo frustretur natura. An non in metallis, presertim in auro, innatus est ignis, qui virtutem vitę in se portat paulatim per gradus excitandam, et in altum eleuandam vi ignis elementaris, vt ignis ille cœlestis circumuolans & iterum in corpus suum rediens, idem corpus priùs corruptioni, et alterationi subiectum, purificet, sublimet, & mutet de natura corruptibili (in qua *Nihil*) in naturam incorruptibilem, in qua *Aliquid*, imò *Omnia*, virtute certè di-

vina?

vina? Omnis enim vita à ſemper vivo emanat, in cuius dextra, vitæ, & dierum longitudo; in ſiniſtra verò, divitiæ et gloria. Itaque commiſceamus aquam terræ vt meliùs permiſceantur, & vt ſumma fixi per aquam, in aquam diſſoluti, aqua cum aqua coniungatur, exiccetur, & coaguletur: facilè enim reſolvitur in aquam, quod aliquando fuit aqua, vt patet in glacie, & nive; & in tali coniunctione per diſſolutionem, & coagulationem facta, fixum fit volatile, & volatile fixum, & terra, & aqua maiorem, & meliorem, quam priùs, acquirunt virtutem, quam inueſtigant, imò inveniunt ſapientes. Aqua enim dicitur, quaſi à qua Omnia, quæ (authore Pindaro) elementum optimum nuncupatur. In hac ſecreta coniunctione, rerum viciſſitudine fixi cum volatili, & volatilis cum fixo, conſpirare videntur elementa, vt ad creandum lapidem invicem mutentur. Atque hoc vult natura, vt neque prædominans ſiccitas, aridum faciat lapidem, neque nimia humiditas hydropicum. Terra cibus eſt reſtaurans ſpiritus, nimia humiditate ſubmerſos: aqua potus eſt, reſtituens corpus, ſiccitate nimia perdurum. Quare non laboret corpus noſtrum phyſicum inæquali temperamento. Iuſta proportione ligata manent, & rectè inter ſe omnia ad lapidis generationem, & ſalutem, qualitatum miſtione diſpoſita emergunt in lapidis phyſici certiſſimam conſtitutionem.

Infima ſupremis proportio dupla ligavit,
Et tali tales capiuntur flumine piſces.

Cavete autem filij sapientum, nè plus aquę, quàm par eſt, abundet in miſtione, tunc enim ſequitur inundatio, vbi Icari veſtri plumę liquefiunt, & immerguntur fluctibus. Icarus poetarum, ſulphur eſt Chymiſtarum: Dædalus pater Icari filium in mari ſubmerſum, & mortuum, tandem inventum ſepelivit in arena, (ſcilicet aurea) ſed non ad reſurrectionem, ad ruinam potiùs, & deſtructionem.

Dum petit infirmis nimiùm ſublimia pennis
Icarus, Icarias nomine fecit aquas.

Quapropter ſi plantæ veſtræ nocturno rore ſint guttatim, & veluti gradatim irrigatæ, & non penitus ſubmerſæ, citiùs, & meliùs diurno tempore creſcent interni medio ignis, in arborem magnam, & frugiferam. Nam ramus auri intra opacam arborem abſconditus indies creſcit, & ſol philoſophorum occultus in vallibus, & vmbris, ſplendens exaltatur ad ſummitatem montis, donec omnis obſcura terra imbrium frequente & crebra diſtillatione fertilis fiat. Sic enim ſita eſt in ſapientum poteſtate omnis huius mundi gloria.

CAP.

CAP. 5.

Ex aquarum guttulis, philosophi aliquid aliud, præter philosophorum Aliquid *didicerunt, lachrymas, scilicet, profundere pro peccatis, & per lachrymas invenerunt gratiam, sicut per eorum aquam, virtutem seminariam ex perfectissimo metallo pullulantem.*

SI quæratur (rebus sic stantibus) cur philosophi velut ignoti, & ignobiles delitescunt, huius mundi gloriam non appetentes? facilis est responsio: apud illos nihil haberi pulchrius, nihil iucundius quam vt, honores, & divitias in eorum voluntate, & potestate positas, tanquam fortunæ ludibria, contemnant, thesaurum boni animi stabilem, & munitum custodiant, & cœlestes opes, nunquam perituras consequantur. Nôrunt, quòd plerumq; non fit, vt quis externis his, & ęternis illis fruatur, & in vtroque sęculo appareat gloriosus, & a delitijs transeat ad delitias. Non enim per delitiarum, & divitiarum viam itur ad astra: non à fęlicitate Sêcli ad fœlicitatem Cœli. Quare virtus, & pietas, omni auro, & nobilitate sunt nobiliores. *Otreb.* *Ier.*

Nobilitat virtus hominem, virtute remota
Migrat in exilium nobilitatis honos.

Cum Apostolo vtuntur mundo, tanquam non vtentes eo. Habent vxores, vt non habentes eas, in

1 Cor.7. prosperis gaudent, vt non gaudentes, in adversis flent, vt non flentes. Omnia obtinent, & nihil habent, videntur pauperes, & alios ditare possunt, per gloriam, & ignominiam, per convitia, & laudes, vt seductores habentur, & tamen veraces sunt. Et ob eam rem dicuntur illi nunquam minus soli, quam cùm soli. Versantur enim cum æterno naturæ parente, & cum illo vitam suam contemplativam, & activam sine molestia, vel tædio transigunt, certa spe semper parati á terrenis ad cœlestem omnipotentis dei civitatem hinc migrare, vt ad immortalitatem rectâ viâ avolare possint.

Direb.

Ergo cœlestes thesauros condere quærunt,
Quos nequeunt fortes, & iniqui tollere fures.
Et bene se ditant, quia semper noxia vitant,

Interea philosophi moderni peccatis involuti cum ceteris hominibus, sed edocti plus quam cæteri homines, discunt per aquarum suarum guttulas, lachrymas doloris, et penitentiæ indies profundere, vt eorum peccata, tàm cogitationis, et actionis, quàm originis, sanguine Christi Iesu abluantur, et penitùs abstergantur. Etenim christiani philosophi minimè dubitantes Christum Iesum Dominum nostrum humani generis redemptorem, fontem pietatis, et salutis humanæ non abstinuisse á lachrymis, sed flevisse, vt cæteri flent infantes in ipsa nativitate, propter hominis ingressum cum miseria, super civitatē Ierusalem, propter hominis progressum cum vanitate, super Lazarum propter hominis

hominis exitum cum pæna, ſuper Iudam propter hominis damnati reprobationem, quia æterna, et in paſſione cum magno clamore propter electorum ſalutem, ſtatuerunt illico ipſum lachrymarum fontem flendo exhaurire, ne animarum ſuarum ſubverſionem plangerent inter duræ cervicis reprobos. Quare eorum vnaquæq; lachrymarum ſtilla, ſplendida in cœlis ſtella per Chriſtũ Ieſum verum piorum ſolem illuminata, dici debet, ſicut vnaquæque ſtilla eorum Icari, etiam ſtella, accipiens lumen ab eorum ſole dici poteſt. Atquè hæc ſtilla, ſiue ſtella in philoſophorum cœlo circumfertur, donec, ſicut vt cœlum novum, nova etiam, perſpicua, et chryſtallina fiat terra. In azoc, et igne hæc efficiuntur. In his enim forma et materia, ſol, et luna, ſulphur, et mercurius. Quarè dicuntur ſol, et luna philoſophorum naſci inter duos ſulphureos, et mercuriales montes, in quibus duo deliteſcunt leones, vt ex ipſis poſtea lupis leoninos ſemper procreare poſſint omnes ſuos fætus. De ſulphure autem communi, vel communi mercurio in opere noſtro phyſico, non curant philoſophi, quia iſta in noſtri auri, vel argenti noſtri fodinis non inveniuntur. Neq; enim in conficiendo lapide argentifero, vel aurifero iſtis vtimur, ſed ea prorſus reijcimus, et invtilia tanquam extranea cenſemus. Et tamen inficias non imus etiam communem illum mercurium aptum, et idoneum, ſulphur etiam cummune, aliquando neceſſarium ad præparandum, ſed non ad componendum,

nec ad perficiendum lapidem. Lapis enim noster ad seipsum perficiendum portat in ventre & vasculo suæ generationis (sicut priùs sæpissime diximus) semen suum, nec aliud quicquam quærit ad perfectionem suam, sed in se, & in forma sua (*Bernardo* Trevis. *Trev:*dicta) formata, & homogenea, habet semen prolificum, seminariam scilicet virtutem suam, quæ quidem ex perfectissimo metallo potest elici, si pe- Ros.phil. ritus velit artifex. Est enim aqua nostra omnium metallorum sperma, & omnia metalla resolvuntur in ipsam, & in ea inest virtus hæc seminaria, in se continens corporis mineralis vegetabile, pullulans, florescens, germinans, & agens in suum proprium passivum, sicut semen in suam terram seminatum. Honorata est hæc aqua fixa, quæ manifestat tincturam suam in proiectione, & coniuncta cum spermate mercurij, eadem fit aqua sine divisione vna: Et in hac coniunctione solis, & mercurij in essentijs suis interioribus, philosophorum constituitur la- Claug. Buc. pis, tincturam habens infinitam, ab igne solis acquirens colorem sanguine rubicundiorem. Quapropter Raymundus operum suorum bonitatem, & virtutem posuit in sale suo vegetabili, in mercu- Lul. rio scilicet sapientum, in aqua vitæ, in sanguine menstruali. Sanguis enim hic emissus è corpore suo, superius ascendit, descenditque super illud, quod inferius remanet, quousque totum figatur, & sulphur inferius fixum naturaliter congelat suum mercurium per frequentem sublimationem. Omne

enim

enim ſiccum appetit ſuum humidum, & omnis terra ebibit ſuam aquam, donec abſorbeat in ſiccitatem.

Claudite iam rivos pueri, ſat prata biberunt.

In principio ex aqua creata ſunt omnia, atque hanc aquam deus diviſit, vni aquæ parti præcepit in ariditatem, atque hanc terram vocavit; alteri, vt maneret, ſicut priùs ſine converſione, aqua, ad humectandam, & irrigandam terram, aliàs inanem & infrugiferam ſine aqua ſua, ſed multum ferentē fructum, pluvijs humectantibus eam. Bonus, & verus philoſophus, præpotentis Dei humilis ſervus in aqua, & terra ſua enarrat gloriam Dei ſui, dividendo aquam à terra, & terram ab aqua, vt guttulæ aquæ ſuæ deſuper cadentes, paulatim penetrent terram ſuam, abluant, mundificent, & (vt fructum proferre poſſit) nutriant eam, lacte ſcilicet virginis, ſucco lunariæ, aceto acerrimo, aqua vitæ, & auro potabili. Cogitet, & contendat filius artis, quo modo de hac aqua ſatis bibat cinis ſiccus, & terra valde ſitiens, ille erit indagator naturæ vincentis, & precioſiſſimæ perfectionis.

Manè petat montes, poſt prandia, flumina, fontes.

Intelligat, quòd,

Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo:

Et qui capit verbum hoc,

Eſt ſanè ſapiens, non vi, ſed ſæpe probando.

Gutta enim menſtrualis ſolvit corpus, terit, terit, terit, & terendo calcinat, & calcinando reducit ad naturam ſpiritus, donec corpus foliatum vocetur.

Qua-

Quapropter dicimus duplicem esse philosophorum aquam, communem, & acquisitam: illa, lapidem facit volatilem, ista, fixum. Atque ista aqua verè mineralis, imò verè cœlestis dici potest: producitur enim ab ipsa radice solis nostri, & virtute sua aurum nutrit in melius, sicut granum nutritur, mediante radice. Nolite nunc sophistæ diutiùs, multùmq; cum violento ignis fervore laborare, in mortificando, sublimando, præcipitando, & figendo argentum vivum vestrum. Nos generationes & procreationes rerum naturalium, novimus habere solum fieri per calorem temperatissimum, & æqualem, & non supra excedentem. Proinde oleum certè, & operam perditis, nisi in operibus vestris lachrymas ab Adamo nostro, & vxore eius candida emissas videritis, & absterseritis. Nihil enim mercurium vestrum sistit, nisi quod ab eo, & eius compare producitur. Natura naturâ gaudet, & mercurio vestro gaudet mercurius noster, qui apud philosophos quinta essentia, & aqua vitæ dicitur, componens totum lapidem, & fixum reddens, secundum fermentum sibi adiunctum. Dixerunt ergo philosophi, quòd totum magisterium nostrum fit cum aqua nostra, & de ea, & ex ea sunt omnia necessaria: vbi autem sunt *Omnia*, *Aliquid* non deest, atq; hoc *Aliquid* est rei cuiuslibet secretum, & vita, aqua, scilicet, quæ solvit corpus in spiritum, & de mortuo facit vivum. Qui intelligit, & sapit, cum omni mentis intentione deum precetur, vt in terris obscuratam manifestam videat

Essurarius.

Theat. Phil.

videat eius gloriam, & ſedulò tunc ſine tædio laboret vt cum aqua noſtra calcinet corpora, transformet, denigret, dealbet, & rubificet ea, quia aqua nostra calcinando ſolvit, ſolvendo tranſformat, transformando denigrat, penetrando abluit, abluendo dealbat, & tingendo rubificat corpus, & mortuum vivificat in vitam.

Fruſtra conatur, cui non deus auxiliatur,
Proficit abſq; deo nullus in orbe labor.

CAP. 6.

Philoſophorum Aliquid *in eorum aqua licet contemplari, tanquàm in ſpeculo, & in hac aquâ latet eorum ſecretum, ignis ſcilicet vivus mortua corpora viuificans.*

SEcretum autem, & vita cuiuſlibet rei eſt aqua: qui hanc habet aquam novit ſeminarias virtuter elicere, & in radices ſuas iterum reducere, donèc inveniat ſalem ſapientum, quem Ammoniacum vocant philoſophi, tincturam metallorum augentem, & ampliantem. Sapientes nôrunt aquam hanc, ſive menſtruum, ſeminariam virtutem continens facile è perfectiſſimo metallo extrahere, & cum ipſo menſtruo perfectiſſimi metalli animam, quam cum Raymundo, naturæ appellamus ſulphur, & metalli ſemen, volans per ignis expreſſi- *Lull.*

 onem

onem a sua terra ad latera vasis, quod ab ipso Raymundo etiam sperma metalli vocatur. Spiritus enim crudus corpus solvit, & de soluto corpore spiritum digestum extrahit, & remanet cinis fixus, in quo reperitur oleaginositas, & gummositas lapidea, & incombustibilis, quam, animam, dixerunt philosophi, quæ viuificat, incerat, coniungit, & naturas facit vnitas. In spiritu disiunguntur naturæ, sed in oleo reiunguntur. Non possum non fateri, me nunc fideliter, planèq; præstitisse, quod proposui. Nunc enim philosophorum *Aliquid*, & vilis, & maximi precij, tanquàm in speculo contemplari licet. Spermate, seu semine quid viliut? Spermate seu semine quid preciosius? Nihil vilius, quia in se sine radice, vel terra sua prorsus invtilis corrumpitur fætens. Nihil preciosius, quia vnumquodq; semen in terra sua seminatum, vtile est ad *Aliquid*, imò ad *Omnia*, in omnibus rebus sui generis. Hinc in vegetabili, plantæ; in animali, vnaquæq; animalium species; & in minerali, metalla, originem, propagationem, & perfectionem suam petunt. Si adhuc videatur metallorum sperma investigandi, inveniendi, & extrahendi difficilis via, non est quòd plus vltrà traijciam naviculam meam in mare philosophorum: est enim certissima sapienti via satis nota. Qui modum & medium nescit, *Nihil* agit, *Nihil* producit, nunquam ad *Omnia* perveniens, Philosophorum *Aliquid* non inveniens. Eorum enim *Aliquid*, à *Nihilo* exurgens, est eorum secretum, quinta essentia,

Treuis.

ſentia, anima, media natura, margarita precioſiſſima, Minerua, Iovis filia, & ex ipſo Iovis capite prognata. Qui tranſivit fretum noſtrum, contrahat vela, & cùm viderit aquas in ſiccum abijſſe, exultans dicat,

Inveni portum: ſpes, & fortuna valete.

Quarè operi ſedulò incumbat philoſophiæ filius, abdita metallorum ſemina eliciat, habebit ſecundas (de quibus antèa diximus) rerum cauſas, quibus deus optimus maximus, creator omnipotens benedixit, vt creſcerent, & multiplicarentur. Ineſt enim vnicuiq; metallo ſuum ſperma, ſuus ſpiritus, & ſua anima; & omne metallum ſpiritu & Mercurio, tanquàm in aere, & aqua vegetat; animâ, & ſulphure, tanquàm in igne animat, & corpore ſuo tanquàm in terra ſubſiſtit. Myſterium loquor magnum. Ob eam itaq; cauſam, dicimus in metallis, ſicut in vegetabilibus, & animalibus, innatum eſſe ſemen & in ſemine ineſſe quatuor elementa, quæ licet in corpore ſuo, tanquàm in carcere includantur, non tamèn ita includuntur, vt nihil in natura ſua producant ſed vt *Aliquid* (ſicùt cætera creata) effectum reddant. Fateor equidem ſterilitatem in omne corpus metallicum loco ſuo propriæ generationis privatum, dominium exercere, propter terream, & opacam illorum ſubſtantiam: Dicimus tamèn in hac ſubſtantia metalli perfectiſſimi, claudi, et abſcondi ignem ſuum cæleſtem, occultam, ſcilicet, naturam ſolis, et ignis noſtri precioſiſſimum oleum, tinctu- *Lib. triũ verbor.*

ram viuam, et ſpiritum penetratiuum, qui excitatur ſola ſubſtantia pura Mercurij à ſuis ſuperfluitibus mundati, tàm combuſtibilibus, quàm aqueis, et eſt eius virtuoſa, vnctuoſa, et aerea pars, in qua latet ſpiritus quintæ eſſentiæ, quo ſolum corrumpitur aurum, et in primam materiam reducitur, atq; ita igne ſuo excitatur, vt vitæ ſpiraculum per totum priùs mortuum corpus diffundi videatur. Nam moritur mors, fugit corruptio, fugantur tenebræ, et ad vitam, ad ignem cæleſtem, et lucis claritatem patet aditus, ità vt immediatè natura (elementari igne appoſito) exuſcitata, officium ſuum vivificationis, et procreationis, poſſit præſtare;

Effectus varios, vt ſol alternat in aura,
Sic lapidis noſtri variatur imagine vultus,
Et gracilis ſubitò eſt, qui modò craſſus erat.
Forma perit rerum, datur altera quoq; dierum,
Qui moritur, citiùs fertur ad alta, lapis.

In humiditate autem latet materia noſtri ignis, ſicùt oleum eſt materia lucis ardentis in lampade, & tamen ignis hic, ſicut reliqua elementa principium non habet: terra verò priùs fuit aqua, aqua priùs fuit aer, aeris autem principium eſt ignis, ſed ignis principium ſolus Deus, qui omnia creauit ex *Nihilo*, quorum primordiale principium eſt vna natura, in vna pura ſubſtantia, quam quintam eſſentiam vocarûnt philoſophi, in quâ tota natura, & ipſa elementorum ſubſtantia comprehenditur in terreſtribus, quorum prima purior pars datur igni, ſecunda

aëri

aëri, tertia aquæ, quarta terræ: ab igne autem ad terram gradus ſunt minoris puritatis, ſed ignis eſt puriſſimum elementum, quia quintæ eſſentiæ, poteſtati vitę, & cæleſtibus ipſis eſt propinquiſſimum. Atq; hic eſt ignis, quem Poetæ fingunt Prometheum è cœlis furto ſurripuiſſe, cujus virtute, & calore etiam mortua ad vitam reſtituta ſunt. Ignis hic Promethei non idem eſt cum igne Pontani, ille enim eſt aqua clara, aqua vitę, ceu ignis vivus ex toto Philoſophorum compoſito, iſte autem ex aliqua compoſiti parte, ambo virtute caloris ſui abluunt, purgant, renouant, & perficiunt materiam terræ fæculentam, vt efficiant puram, & perfectam. Et tamen iſte de materia non eſt, nec intrat in materiam, vt ipſe, qualis ſit materia, fiat, ſed quià mineralis & æqualis eſt, exitat calorem, ignem, & ſulphur internum materiæ, vt materia ipſa igne Promethei, ſimul & Pontani tranſmutetur, & nova, & multò melior ſanè cœleſtis cum ſole noſtro reddatur. Iſte ignis Pontani ignem illum Promethei excitat in vino noſtro latentem, ex quo trahimus aquam vitæ noſtram, in qua virtus, & omnis ignis noſtri eſt poteſtas, omnia fovens, & calefaciens in virtutem, & vitam; & reperitur in ſulphure Philoſoqhorum incombuſtibili, & ex eo conflatur, quia eorum ſulphur eſt ignis vivus, alia corpora mortua vivificans, *Correct. [illegible]*
ea maturans, atq; ijs vitam inſpirans, ita quòd materiæ defectum ſuppleat, vt eam maturam, depuratam reddere poſſit. Et non reperitur tale ſulphur

nisi in corporibus solis, & lunæ, & in alio, quod est
Avicen. illud, quod nulli dicitur, nisi ex parte dei sibi reueletur. Cùm enim omnis ignis præter cœlestem, adurens sit, & destruens, solus ille cęlestis reperitur, vivificans, materiam calefaciens, atq; eam multiplicans ratione suæ essentiæ, faciens humidum radicale totum novum: In quo humido habitat, & hospitatur, (teste Raymundo) calor naturalis, & in humido imprimit calor formam suam, & essentiam suam, si materia, in quam operatur calor, sit benè subtilis, vt totum fieri possit ignis, & radicalis humiditas. Nam in corpore metalli, virtus agens operatur, tanquàm masculus, & excitatur humidum suum in Mercurij substantiam, sicùt maritus excitatur, & agit, mediante vxore, & calore sui corporis. Atq; hoc modo humidum decoquit ignem, & ignis constrin̄git humidum, donec ex his generetur lapis, recto, & æquali ignis elementaris regimine. Ob eam itaq; causam clamant Philosophi, In recto ignis regimine perficitur opus.

CAP.

CAP. 7.

Elementaris siue Externus ignis internum excitare, & nutrire debet, donèc aues Hermetis capi, & retineri possint, aliàs Aliquid *non obtinebimus, sed in tenebrosa* Nihili, *& mortis domo semper sedebimus.*

CLamant adhùc altiore voce philosophi, vt id Omnis philosophiæ filius exaudiat, videte, vt manum possitis illæsi ad vitrum apponere. Volunt certè vt forensis, & externus ignis internum illum, & cælestem solummodò excitet, ad procreandum, nutriendum, & cōseruandum eorum fœtum, cèu lapidem. Si quæratur quid ego Theologus aquam illam cœlestem, & ignem cœlestem appellem? Respondeo, quia à cœlo recipiunt metalla terrena vim planè cœlestem, tanquam sigillum illis impressum, & radij corporum cœlestium in nullo elementorum, tanta vi, & potestate vniuntur, sicùt in terra. Annòn terra profert herbam? annòn herba alit belluam? annòn bellua hominem? annon homo redit in terram? Sanè sicùt ipsa terra proprium est retinaculum virtutum cœlestium, & earum influxuum ad rerum constitutionem, & nutritionem; ità etiam proprium est omnium rerum receptaculum post dissolutionem

earum,

earum,quæ à terra priùs promanabant. Quapropter cœlorum influentiâ producit terra res mirabiles in vegetabilibus, animalibus, & mineralibus; sed cæli plures, & maiores infuderunt in radicalem, & spiritualem substantiam perfecti metalli virtutes mirabiles,quàm in quamcunq; rem aliam elemen-
Geb.lib.1.cap.7 tatam(excepto corpore humano) quia longissimo tempore metallum perfectissimum in mille annis induratur,& perficitur: Et enim est in eo diuturnus succus, qui non nimis celeritèr maturitatem accipit, vt in quercu, & alijs quamplurimis. Quapropter cùm metalla, quasi inanimata, & ob eam caussam sterilia, & infæcunda videantur,oportet volentem vires cælicas in lucem producere, duritiem, & densitatem metallicam in primam simplicitatem reducere, quæ postcà tam est apta ad exerendam,& exprimendam suam vim cœlestem,quàm in obedientia sua spirituali à die in diem ad recipiendam eam per tot annorum spatium. Etenim terra est metallorum mater:

(Magna parens terra est) ---

Sed,cœlum pater (& viribus cœlestibus in terram fluentibus, & eam penetrantibus) materia metallica in visceribus terræ simplex, & subtilis,lucida, & perspicua facta est,quia recipit influxus cœli,& cōcipit,& imprægnatur,vt pariat filium tempore suo: filij tales,quasi serui, splendidissima veste induti, sequuntur, & concomitantur reges terræ, & terræ reges iure suo meritò illis imprimunt imaginem

suam

ſuam neq; vlli licet eandem, vel aliam illis imprimere. Ita tamen induſtria, & opera periti artificis poſſunt (vtinam ſine metu, aut damno aliquo) metalla excitari, & promoueri in actum, vt meritò propter eorum innatum ignem, in eorum aqua habitantem animata, ſpiritualia, eaq; ad generationem formata dici poſſint. Cùm enim externum ignem, internum excitantem, & promouentem, ſemel ſenſerit internus, & innatus ignis, internus ille, & innatus ignis ſtatim agit, & ſe diffundit in viſcera terræ noſtræ, vt terra noſtra concipiat, & poſtea pariat infantem ſuum. Interim ante partum, externus ignis ille eſt interni quaſi nutrimentum, & pabulum. Calor autem externus, ſi plus quam par eſt, excitetur, intus vi penetrat, & humidum totum radicale abſumit, & opus totum deſtruit. In debito autem, & æquali ignis regimine, licet dignis, & dilectis philoſophorum filijs, eorum ignem in eorum aqua, & in eorũ igne ſimplicem, puram, & nudam conſpicere naturam, vbi Chryſtallinę profluunt vndæ, quaſi ex *Eden* ad irrigandum totam terram de Hauelah, vbi aurum. Quapropter quicunq; ex fonte hoc lucido, & benedicto, vivarum aquarum caſtam, & candidam deſideratis inſpicere naturam, & diuinæ bonitatis intelligere myſteria, legite, & ſæpius in animis verſate excellens illud, & optimum de natura nuda, & ſimplice, ſeu vndarum vitæ ſcaturigine, caput decimum in tractatu illo Theologo-philoſophico à Rodolpho Otreb Britanno, fratribus à Cruce roſea di-

ctis dicato. Huc enim lubens vos remitto, vbi vobis liceat lucidam, suauem, & sinceram vitæ aquam, & virtutem eius summam ex fonte profundo promanantem depromere, & degustare. Legite, (inquam) legite, & tamen ingenuè fateor, quòd palato meo non arridet narratio illa hæsitationis, An natura, vitæ cuiuslibet creaturæ ministra, sit Deus, vel ipse Deus sit illa? Creatura enim Creator non est, neq; tabernaculum Dei Deus est: Benedictum tamen sit nomen domini, qui in sole posuit tabernaculum. Non probo ejusmodi hæsitationum narrationes, quamuis ipsæ hæsitationes sint à narrantis animo, & judicio longè remotissimæ. Etenim Ethnici impij, & à Deo alieni ex tali hæsitatione plerumque colligunt, imò concludunt aduersus Deum, & ejus veritatem, in ipsorum perditionem. Satius, & tutius esset (me judice) scrupulum talem silentio sepeliisse. Ignoscat mihi sapiens, & doctissimus ille Rudolphus, cujus intelligentiam, cognitionem, et sapientiam in describendo, et hauriendo aquarum viventium fonte non satis admirari possum, In studiosorum, ac bonorum hominum eruditionem, et disciplinam scripsit, sane vberiore sermone, quàm ego vellem scribere. Sitiat ergo, et semper sitiat insipiens, insipidus, et stupidus ille, qui ex ejus fonte profundo refrigerium, vitam, et salutem non haurit in domino. Nostrum *Aliquid* primis labris non adhuc gustauit. Quamobrem sedeat semper sine luce in vmbra mortis, et in *Nihili* nostri domicilio detentus

tentus tenebroso maneat. Vt autem mors non semper dominetur, nec in tenebrosa *Nihili* domo semper sedeamus, sed vt vitam in resurrectione, in resurrectione desponsationem, in desponsatione conceptionem, in conceptione lapidis generationem inveniamus nouam, jubeo vt corpora submergantur in spiritibus, et spiritus in corporibus, vt et corpora mortua resuscitentur clarissima, cooperante spiritu, et ipsi spiritus firmissima figantur corporis fixione. Isto modo capimus, et fortitèr retinemus Hermetis aues; corpora etiam, et ipsum lactis coagulum, et terram foliatam habemus, vt aurum non vulgi, sed philosophorum in terra alba foliata seminare possimus. Nam terra hæc corpus est mundum, et cinis à cinere extractus, et cum spiritu suo aurifero tingitur, et tingit. Aurum enim non tingitur nisi cum auro, sed aurum cum auro tinctũ, tingit in infinitum. Conjungite ergo mundum spiritum cum corpore suo mundo, et desponsatio fit lapidis in calcem corporalem, et figitur spiritus in corpore illo, vndè sumptus fuit ab initio, et pax fit inter elementa, quæ veneris vinculo invicem conjunguntur, ita vt postea separari non possint. Si verò spiritus ille, quem *Senior* aquam vocat diuinam, et spiritualem, in qua continetur anima quæ philosophorum aurum, et tinctura, animam in se habens, dicitur, quem etiam Hermes aquam albam nominauit, animam habentem tingentem, atq; aurum, seminandum in terram foliatam; Si inquam spiri- *Arist.*

tus ille vegetabilis, qui tincturam dat permanentem, qui etiam vivus dicitur, et potentiam in se habet generatiuam, et verum est incombustibile oleum, solus manet, et non redit in corpus suum, à quo prius extractus fuit per dissolutionem, philosophorum *Omnia* nunquam obtinebimus, sed perpetua erit corruptio, nulla elementorum transmutatio, nulla caliditatis vnius cum frigiditate alterius concordia, nulla imorum cum summis, nec summorum cum imis conjunctio; sed *Nihil* nostrum semper in tenebris occludetur sine lumine, tanquam mors sine vita, et terra mortua, sine solis nostri influentia. Etiam hic est æterna mors apud inferos sine redemptione in domo tenebrosa, sine vlla vitæ, aut resurrectionis spe; videant impij, et ab ipso deo alieni, quis etiam sit eorum post mortem status absq; pænitentia, et lachrymarum pro peccatis profusione in hac vita, ne penitus pereant dicentes; Semi- *Iob.19.* tam meam circumsepsit, et transire non possum, et in calle meo tenebras posuit; spoliavit me gloriâ meâ, & abstulit coronam de capite meo, destruxit me vndiq;, & pereo, & quasi evulsæ arbori abstulit spem meam.

CAP.

CAP. 8.

Diſſolutio indiuidui noſtri fit cum conſeruatione ſpeciei, & deſcenſus roris noſtri in terram, eſt ſeminatio auri Philoſophici in terra ſua, vt eam reddat fertilem, medio ignis naturalis & artificialis.

LAchrymas graves, & melancholiæ furore aut deſperatione plenas cum *Eſau* non emittat pœnitens, quià benedictionem amiſſam non conſequetur citiùs, quàm *Cain* gratiam, aut *Iudas* veniam. Iſta Lachrymarum emiſſio, eſt quaſi diſſolutio indiuidui noſtri in aquam nubis deſtruentem naturam, & corrumpentem formam ſuam, ſicut Iudas ſuſpenſus fuit in æternam animæ ſuæ perditionm; ſed diſſolutio noſtra fiat ſub conſeruatione ſpeciei, & propriæ formæ, quæ nobilem habet proprietatem, & virtutem ſuam prolificam in ſe manentem, & à ſe ſine ſuo interitu emanantem, in quâ totius naturæ poteſtas, continens *Omnia*, quib⁹ indigemus. Etenim hæc forma ſedes eſt, vel potius quoddam quaſi ſepulchrum in quo continetur lapis, proveniens, & promanans ab ipſo lapidis vaſe, quod radix eſt, & principium operis, atq; ex eo vaſe producitur lapis vivus generatus ex ſole, & luna, tanquàm ex mare, & fœmina. Hic enim vivus & vivificãs lapis, eſt aqua illa (de qua ſæ-

perditionem

pius diximus) latens in terra ſua mortua, donèc terra, mediante aqua Mercuriali, pareret aquam Philoſophorum, quæ priùs erat in corpore ſuo mortuo. Iſto modo locus generat locatum, & locatum loci eſt vis, & vita, & vas generat lapidem, & lapis vaſi novam infundit virtutem. Nam radices ſtellarum exhalatione ſua infundunt, & influere faciunt virtutes ſuas elementares, & cœleſtes à vaſe ſuo naturali, nunc incarcerato, & firmiter incluſo Hermetis ſigillo in vaſe artificiali, generationi apto. Vas enim artificiale continere debet vas Philoſophorum, à quo exhalat primò aer, atq; hic aer, ſiuè vapor poſteà fit aqua, atq; hæc aqua vnctuoſa eſt, & citò in circuitu, & deſcenſu ſuo convertit corpus ſuum, et occîdit illud, vt reviuiſcens luminoſum fiat, et quaſi ignis, ſiuè lapis ſplendens, mineralis, Philoſophicus, quinta eſſentia, et Mercurius, tingens omne corpus in ſolem, vel lunam, ſecundum quod lapis fuit in principio operis præparatus. Ibi ignobile metallum eſt quaſi paſta, ſed metallum nobile, eſt fermentum, et fermenti locum obtinet, totam maſſam fermentantis, et informantis in naturam perfectiſſimi metalli. Nolite autem lapidem noſtrũ, regiminis errore ad ſtatum rubeum, et ignitum vllo modo adducere, donèc certo ſui temporis curriculo candeſcens, et inſignitus candidiſſimo margaritarum candore priùs appareat, et fiat terra alba foliata. Satiùs eſſet recurrere, quàm in principio, vel itineris medio vlterius malè currere. Quan-

tò

tò longiùs currunt errantes, tantò longiùs errant currentes. Cedendum veritati.

Qui procul excurrit, nihil & mercatur ibidem;
Si via longa fuit, mæret, rediturus, ibidem.
Quo pede cæpisti sic bene semper eas.

Cùm autem præteritis omnibus alijs obviantibus coloribus perfectam in terra foliata albedinem nacti simus, possumus posteà sine vllo damni metu albedinem illam continuò exaltare in preciosissimam rubedinem, quæ propter virtutem suam meritò ignis dici potest, et est rubinus inter gemmas optimè coctus. Ignis autem artificialis sit in solutione lenis, in sublimatione mediocris, in coagulatione temperatus, in dealbatione continuus, in rubificatione fortis: posthàc nullâ ignis violentiâ potest consumi, et ignis ignem nunquam fugiet. Sed ignis hic est inter metalla, sicùt carbonum ignis inter ligna. Ignis enim noster naturalis, et simplex, à centro terrę extractus artis magisterio, et acquisitus per aeris, et aquę sublimationem, multiplicat sese, et ad eum multiplicandum concurrunt Aer, aqua, ignis, tanquam superiora vivificantia terram inferiorem, terra ipsa quasi nurrice, et fermento, manente, et figente volatilia in cacumine montis. Atq; ità perficitur lapis Philosophorum, sicùt res cœlestis descendit in vterum terræ, vt terra fructum multum possit proferre. Aer enim ascendit à terra, et ab aere per circulationem fit aqua, et in aqua latet ignis, oleum scilicet Philosophorum in-

com-

combustibile; atq; hæc tria descendunt in terram suam, vndè emanabant: Nam terra, siue corpus maximum habet appetitum resumendi suum humidum sudorem, in quo calor naturalis, et radix vitæ. Aer corpus penetrat, aqua terram purgat, oleum, siue ignis omnia illuminat. Atq; hæc coniunguntur denuò cum pura terra sua, vt ex his quatuor coniunctis elementis puris, exurgat quintum, corpus scilicet regeneratum, purum, transparens, spirituale, Philosophicum, penetrativum, et tingens. Si quid enim seminaverit homo, hoc et metet. Nolim vt illud tautologicè à me dictum videatur, quod ad rei veritatem apertiùs exponendam iterum, atq; iterum repetitur. Dicam itaq; adhùc certiore, et planiore sermone, vt vnusquisq; qui legit, certè intelligat. Descensus roris nostri in terram suam, est seminatio auri Philosophorum in terra sua, vndè fructus millesimus mediante natura. Ros enim iste, et ipse lapidis nostri sanguis, compositus ex duabus aquis, vna quæ facit lapidem volatilem, altera fixum, teste Raymundo dicente, lapis noster est quædam substantia corporea ex duabus aquis tenuissimis, et limpidissimis cōposita. Vbi nō intelligitur aqua nubis, in quam lapis soluendus est, sed aqua permanens, quæ tamen sine suo corpore, cum quo dissoluta est, permanere non potest. Iubet ergo *Scala* vt accipiamus illud, quod est corporis perfecti, et omnium illius, et nutriamus illud omnium ex ijsdem, vnde genitum erat, tunc Mer-

Scala.

est

curius

curius noster mortificans erit Mercurij vulgi. Nec mirum, quia argentum vivum argento nostro vivo commixtum vna fit aqua munda, & fixum figit fugiens, & tingens tingendum tingit, & tingens, & tingendum vnum, idemq; fiunt, sicut surculus arboris pomiferæ insertus trunco acris & siluestris pomi, tempore suo dulcia, & bona profert mala, licèt nutriatur ille surculus radice acris & siluestris pomi. Mihi credite, solutio corporis, & congelatio spiritus sunt, velut vterini fratres, vtrisq; vt aiunt, vlnis invicem amplectentes, & aurum vivum philosophicum, tanquam boni pomi surculus, insertum auro mortuo, & infrugifero terræ suæ corpori, efficit corpus illud proferre fructus auriferos, sicut surculus arboris pomiferę facit truncum siluestrem proferre pomorum fructum optimum:

Vtraq; mundatur dum palmâ palma lauatur,
Quæ cùm concordant, dant citò quicquid habent. *Arnol.*

Testis est *Arnoldus* dicens, bibit suam aquam terra sitiens, & fructum fert cum frequente irrigatione, & nisi aqua fiat cum terra vnum corpus, nil proficit. Seminate ergò animam in terram albam foliatam; quia ipsa retinet eam, quoniam cum ascenderit à terra ad cœlum, & iterum descenderit à cœlo *Herm.* in terram, recipiet vim inferiorum, & superiorum. Terra enim astringit fluida elementa, & prohibet à sua fluxibilitate cruda. Aqua, & Aer, humectantia elementa, terram dissolvunt; ignis tanquam anima est, maturans & digerens totum compositum. Hinc *Treuis.*

conjunctio, inceratio, vnio naturarum, & vivificatio, quandò per spiritum crudum, digestus perfecti corporis spiritus extractus, & corpore suo solutus, & disiunctus, beneficio olei, et ignis iterum conjungatur corpori suo oleaginoso, gummoso, lapideo, & incombustibili. Atq; sic sublimatur terra ad *Elixir* nostrum, imbibendo calcem, et figendo Mercurium, et terendo, et decoquendo omnia, donec fiant vnum corpus novum. Vis enim sulphuris non vrentis, de quo facimus solem nostrũ, coagulat, et figit Mercurium mundum, et purum, et in vno vase fit eorum distillatio, sublimatio, mortificatio, calcinatio, solutio, descensio, dealbatio, rubificatio, et perfecta fixatio. Dicimus ergo cum *Gebro*, si ista scis, tibi diximus *Aliquid*, si verò non scis; diximus *Nihil*. *Nihil* enim (teste Hermete) fit, nec *Aliquid* peragitur, nisi noscas ducere, et pręgnantem facere, et generare species.

Fæmina sola parit, generat vir, gignit vterq;.

Quapropter gummi cum gummi conjungendum vero matrimonio, sed cauendum in die conjunctionis vt vtraq; nouâ induantur veste, ab omni sorde perfectissimè depurata, et tunc occurret tibi ex cõcubitu Gabrici, cum sua Beya genitus filius, qui non assimilabitur parentibus. Spirituale enim fiet corporeũ, et corporeum spirituale. Hoc *Aliquid* certè magnum est, et medium inter principium et finem operis, sicut *Aliquid* nostrũm medium inter *Nihil* et *Omnia*; vbi duæ purissimæ substantiæ in suam

primam

primam homogeneam naturam priùs reductæ, tanquam aqua mista cum aqua insimul conjunguntur, ita vt postea nunquam possint separari.

CAP. 9.

Virtus & potentia Solis & Lunæ sunt in lapide nostro, proinde commodè transimus ad Ophir *freto nostro, vt aurum de* Ophir *avehere possimus.*

PArtes purgatæ, & puriores factæ per conversionem naturarum, & per amicitiam factam inter siccitatem & humiditatem, inter frigiditatem & caliditatem, plus se diligunt, quam priùs, propter eorum mutuam mundificationem, & familiaritatem, cum denuò conjunguntur. Neq; enim valdè difficilis videatur reductio perfectissimi metalli in suam primam materiam, quia omnis res facilè resoluitur in id, de quo, vel ex quo priùs perficitur; sicut omnis res est ex eo, vel de eo, in quod resoluitur. Quemadmodum glacies in aquam resolvitur, mediante calore, sic metallum reducitur in argentum vivum, quod prius erat mediante aqua. Atq; hoc argentum vivum, vocamus spiritum vitis nostræ, ardens vinum, aquam benedictam, aquã vitæ, quintam essentiam, Mercurium vegetabilem, Mercurium philosophorum, ipsum etiam in infantia sua lapidem, prouenientem ex elementis, & tamen

men purissima in se continentem elementa, à quibus spirituale fit corpus, & animalis fit spiritus per vegetationem, & animationem metallicam auream splendidam, & clarissimam. Deniq; argentum hoc vivum, quod etiam vinum appellamus, in quo ipsa veritas, (est enim in vino nostro tota veritas) per aquam Mercurialem extractum, est prima illa materia, siue aqua, ex qua corpus fuit ab initio, atq; hæc eadem aqua conuertit omne corpus metallicum in cinerem, & cinerem in aquam, vnde contritio nostra, & subtiliatio nostra absq; manibus, cum argentum vivum nostrum, & sulphur nostrum coquantur, donec vnum fiant argentum vivum, vbi sulphur retinet argentum vivum, nè auolet, & evanescat, quia siccum prohibet humidum à fluxibilitate, vbi etiam argentum vivum defendit sulphur nè comburatur, & devastetur, illuminatq; ipsum, ac conservat ab vstione, quia humidum prohibet siccum ab ignis violentia. Quapropter vt nostrum *Aliquid* tandem absolvam, & institutæ descriptionis illius exitum expediam, concludo, quòd ex argento vivo & corpore perfecto elicitur medicina, quia in ijs est, secundum naturam, perfectiùs in corpore, propinquiùs in argento viuo. In corpore inest purissima sulphuris substantia ingenio naturæ summè depurata: in Mercurio inest vis quædam amicabilis, apta, nata, & à natura disposita sulphur illud humectare, subtiliare, & in aquam nostram resoluere, vt sol fiat medicinæ nostræ

ſtræ pater, & luna mater. Fumus enim albus vinũ noſtrum rubrum in ventre ſuo portat, quod aurum eſt philoſophorum, quinta eſſentia, & vini anima. Quare fieri non poteſt quin virtus, & potentia ſolis, & lunæ, ſint in noſtro lapide, aliter non faceret vel ſolem, vel lunam, ſed facit, quia ſol & luna exiſtentes in lapide noſtro, ſunt longè meliores, & potentiores ſole, & luna vulgari. Hæc enim niſi agitentur, non agunt, & niſi moueantur, non mouent, ſed mortua manent. Illa verò viua ſunt, prædita virtute maxima, viriditate benedicta, & vegetatione Mercuriali, inviſibili, ſed potente. Annon adhuc ex *Nihilo Aliquid* poſſidemus, idq; magni imò maximi pretij, cùm nauem noſtram eò referre poſſimus, vnde priùs proficiſcebatur, & pleniſſimis velis nauigare, & ſecundiſſimis ventis curſum tenere, donec trajiciendo claſſem in Ophir, inueniamus, et auehamus aurum de Ophir? Quid enim aqua noſtra niſi mare noſtrum? Et quid apud philoſophos Ophir, niſi aureus eorum cinis? Ophir enim apud eos cinerem ſignificat, & aqua noſtra mare dicitur propter amaritudinem, acuitatem, & naturam ſalſam & igneam. Et tamen non negant philoſophi Solomonis nauium trajectionem verè factam, ad auferendum optimum de Ophir aurum, licet allegoricè & ænigmaticè imitari videantur talem nauigationem. Iubent ergo philoſophi, vt coquamus aquam maris leni igne, donec tabulæ confringantur, & inueniamus ſplendorem maris, vt loquitur

Ioh. de rupe ſciſſ.

Hylſen.

Yximius in turba. Æquivocatione autem nolo in conclusione lectorem benevolum fallere, qui veritatem & cognoscendi, & agendi philosophorum præcepta, priùs verè docuerim. Quarè intelligendum quod mare nostrum propter maris nostri cum eo coniunctionem, aqua dicitur permanens, sed permanere non potest nostrum mare absq; suo mare, sed illius maris est fluxus, et refluxus, donec cum isto mare vnum fiat, et permaneat. Licèt autem insipientes putant aquam nostram esse nubilem, legentes tamen, et intelligentes libros philosophorum sciunt vtiq; permanentem. Quisquis de aqua maris nostri satis habet, non eget aceto alio, ad excitandum appetitum, non vino alio ad corroborandum stomachum, non aquâ vitæ ad digerendum cibum, nec argento vivo minerali ad deaurranda metalla, nec leone aliquo ad dilanianda, et devoranda corpora, nec aquila volante ad deprehendendum corpus, donec cadauer à volatu eam retineat, nec deniq; spiritu vllo philosophorum subtili, qui ascendat, et descendat, donec virtute aërea, et ignea totam terram animatam, splendidam, & tingentem perficiat. Sed migremus hinc, & non solam *Aliquid*, sed *Omnia* pertractemus, vt artificem ab inscio distinguamus, & præclaram hujus artis scientiam, singularem doctrinam, & sapientiam admirabilem vberiore sermone persequamur in eorum vsum, quorum aures non sunt clausæ ad sanam doctrinam, & *Omnia* relinquamus illis, & in

mari

Lull.

salu.

salutem eorum, qui dextram mihi porrigunt, & salutem mihi dicunt.

Insta, ne cesses, aderunt post semina messes;
Post lachrymas risus, multus post semina fructus:
Atq; dat vna dies quod totus denegat annus.

OMNIA





OMNIA.

CAP. I.

An Omnia *sint in* Omnibus? *Quid sint, & quid sibi velint*, Omnia *in* Omnibus?



On sum nescius, *Omnia* Philosophorum esse in *Omnibus*, atq; eorum *Omnia* in *Omnibus* esse vim illam prolificam, qua *Omnia* in *Omnibus* sapienter exquiruntur, constanter retinentur, & ab ævo in ævum conseruantur secundum naturam. De qua re disputant latiùs Basilius Valentinus, & modernus ille doctissimus Philosophus Michael Potier, tam in regno minerali, quam animali, & vegetabili.

Ingenuè fateor, quòd cum librum Michaelis Philosophicè, & fideliter conscriptum, semel legissem, & vivam totius mysterij reuelationem filijs sapientiæ per illum oblatam, cum illo percepissem, illico apud me statui, literas meas chartaceas igni

N com-

committere. Sed vicit propositum meum societatis ejusdem causæ cogitatio, quia ad extruendum Philosophorum ædificium liceret mihi saltem lapides & ligna colligere, quamvis structuram ipsam amplam, & magnificam Michaeli & alijs relinquerem. Liceret etiam mihi arcum meum intendere, eum sinuare, & etiam obuertere cum sagitta ex pharetra Philosophorum, in propositam, & objectam metam, sed Michaeli, non mihi, sagittam merę infigere. Inter cætera naturæ abdita, docuit Michael se potuisse facere tonitru deorsum tendens, & sonum edens horribilem, & peracutum; ita vt præ repentino terrore periculum esset astantibus de vita eorum. Hoc sanè secretum satis benè notum est plerisq; sapientiæ filijs: Et Haly de ventis Philosophorum figuratiuè loquens, ait, quòd quando euelluntur à suis locis, auditur sonus terribilis, & erit timor magnus. Verebar primò ne Michael docuisset etiam, quomodo inuenirent sapientiæ filij lapides dictos tonitruales, absq; tonitru, ita vt tonitru transiret absq; sono, & venti cum omni suo effectu absq; vllo strepitu: Sed tacitè & sapientèr illud cum silentio præterire voluit. Sic cæteri Philosophi omnes, & viri boni scripserunt fortassis multa, eaq; & miranda & credenda, ita tamen semper omnia, vt abdita omninò laterent indignos. Vna etiam voce, atque vno quasi ore, & consensu vno, sed diversis verbis convenerunt philosophi in vnum, ænigmaticè, & parabolicè, vt indigni, semper discentes, nunquã discerent.

discerent. Sed quid mihi cum indignis? Vel quid mihi, hoc in loco, cum philosophorum consensu, et vnitate? qui mecum decreverim eorum *Omnia* describere. Quare ad *Omnia* sermonis mei cursum dirigo, & lapidis in perfectionem concreti, *Omnia* pono in primo, medio, & vltimo gradu, donec ad summum peruenitur, in quo etiam sunt *Omnia*, quæ ad lapidem nostrum sunt necessaria, procreatione, perfectione, proiectione, & transmutatione certissima. *Rebis* est in opere philosophico pars prima. Secunda est *Elixir*, quod dicitur ab *E* & *Lixis*, quod est aqua; quia ex aqua ista *Omnia* fiunt. Tertia autem est *Tinctura*. In primo opere facimus nigrum. In secundo dealbamus nigrum. In tertio rubificamus album. Hos tres colores vocarunt Philosophi tres Soles in firmamento, habentes tres facies. Solem videlicet nigrum, Solem album, & Solem rubrum. In nigro philosophorum est hyems cum frigiditate, humiditate, & pluvijs; in dealbatione nigri est ver cum caliditate, humiditate, & floribus. In albedinis rubificatione est æstas cum caliditate, siccitate, & colore rubicundissimo, At verò quia,

Æstas non semper fuerit, componite nidos.

Nunc enim sequitur Autumnus, in quo colligendi sunt fructus. Transijt hyems, abijt imber, recessit nox, apparuerunt flores, adsunt fructus, & tempus advenit colligendi eos. Sed priusquàm ad perfectionem in colligendo fructus, & in gradu vltimo, & summo perveniatur, in quo lapis perficitur, *Omnia* Trevis. Lud. puer.

in se continens, ad se necessaria. Quæri solet primò, An *Omnia* sint in omnibus? tũ, quid sint? Et quid sibi velint *Omnia* in *Omnibus*? nos autẽ constantèr affirmamus, & dicimus, *Omnia* esse in *Omnibus*, & *Omnia* in *Omnibus*, esse essentiam quintam in rebus *Omnibus*, quæ est ipsa vita, lux, & rerum omniũ forma. (forma enim dat nomen & esse) Quid autem in *Omnibus* essentia, nisi esse entia? Et quid volunt in *Omnibus* entia, nisi vt eorum essentia propagetur (et si ita loqui liceat) perpetuetur? Hinc fit vt vnaquęq; res, formam suam in se habens specificam, consequatur certissimam à natura virtutem in operatione sua, secundum proprietatem ejusdem formæ ad propagandam formam talem, qualem ipsa res in se habet; et ipsa natura satis novit proprium, et certum modum suum, quo vtitur ad introductionem formę, dum agit in materiam cõvenientem. Est enim natura principium intrinsecum, efficiens, vt in rebus omnibus formæ suæ insint substantiales. Atq; hæc natura vbiq; est reperta, tam in paupere, quàm in diuite, foràs proijcitur, pedibus conculcatur; sed tamen fons est operationum mirandarum. Hinc *Omnia* in *Omnibus*. Qui autem abortiui, imperfecti, vel leprosi sunt fœtus, ad optatum suum finem non adhuc peruenerunt; nec sunt completi in esse suo naturali, nec in forma sua substantiali. Quapropter ope opus est, vt imperfecti perficiantur, et leprosi sanitatem consequantur in perfectionem à natura ordinatam. Et ob eam causam, aurum

rum vocârunt antiqui philosophi, Solem, et reliqua metalla, Planetas; quia metalla omnia in se tenebrosa, et obscura, illustrantur radijs auri, et ignobilia nobilitantur, et egena ab eo ditantur. Nam à Sole nostro reliqua obscura, et imperfecta metalla accipiunt mutuò tincturam auream, quia solus Sol noster dotatus est eo priuilegio à natura, vt reliqua omnia metalla possit mutare in aurum. Atq; hoc modo negari non potest, plumbum, æs, stannum, et ferrum, in aurum, vel argentum converti posse, secundum fermentum, lapidi appositum. Illorum enim materia non adhuc completa est, vt in ignis examinatione permaneant, vel vt definitionem, et proprium auri obtineant, vel vt eius nomen, vel naturam vendicent, donec virtute formę fermenti appositi, in perfectionem informentur, et perficiantur. Tunc enim ab auro aliena non sunt, sed auri formâ, et naturâ, tam in manifesto, quàm in occulto nobilitantur. Qualis enim causa, talis effectus. Quapropter imperfecta metalla, quùm complementum formæ suæ, fermenti beneficio, semel sunt consequuta, à forma auri non sunt aliena, nec avolant in fumum, sicut priùs; sed habent suam permanentiam, fixionem, & puritatem, et fixa manent, sicut ipsum aurum, mutatione cutis, et corticis, ipsius etiam medullæ pollutæ, et coinquinatæ in manifestum splendorem, et intimam munditiem, et virtutem ipsius auri.

CAP. 2.

Imperfecta metalla appetunt vltimam à natura ordinatam formam perfectam, & ad consequendam talem formam, sunt in motu suo, sicut infans in via ad rationem.

NVllo autem modo fiunt *Omnia* ex *Omnibus* licet *Omnia* sint in *Omnibus*. Ex quolibet ligno non fit Mercurius; nec ex quolibet fiunt *Omnia*, teste *Aristotle*, secundo physicorum, sed ex tali,& tunc omne tale additum tali, efficit il-
Arist. lud tale, magis tale. Ex quolibet autem non fit quodlibet, sed determinatum ex determinato, & istud est,ex semine isto,& hoc ex hoc, vt dicit idem philosophus, vndecimo de animalibus. In solis autem corporibus *Solis* & *Lunæ* reperitur sulphur, & semen philosophorum,album scilicet,& rubrum,in quibus natura sagax continet semen suum. Sol & Luna duo sunt corpora perfecta,quod verò album est,minùs est perfectum,rubrum autem consequutum est vltimum,& optimum terminum à natura ordinatum. Sed quia omne imperfectum appetit perfectius,vt ipsum quoq; perfectius fiat, dicimus imperfecta semper esse in motu,vel saltem in appetitu motus,ad formam illam, ad quam à natura vltimò ordinata sunt,donec eandem cum forma possint

ſint perfectionem conſequi. Et tunc finem motui imponunt, in vltimo termino motus. Non autem in forma ſua diuerſa, & tranſitoria perficiuntur imperfecta metalla, ſed imperfecta prorſus manent, donec perveniant ad formam auri. Intereà ſunt in via, in ſemita, & in fieri ad aurum, ſicut infans in via, in ſemita, et in fieri ad perfectam rationem, potentiâ ſcilicet, ſed adhuc non actu. Non enim in pueritia, nec in adoleſcentia, ſed in virili, et cònſiſtente ætate eſt perfectio, et fortitudo. Sic omne metallicum imperfectum, et quaſi puerile corpus tranſit diſpoſitione, et naturâ ſuâ à gradu, et ſtatu humili, in gradum, et ſtatum ſublimem, vt tandèm exutâ debili formâ ſuâ, quam in medio viæ, et tranſitu invenit, eam poſſit induere formam, ad quam à natura eſt ordinatum. Et ſicut in generatione infantis primò fit coitus, et reſolutio ſeminis; posteà conceptio, imprægnatio, ortus; et tandem infantis nutritio ad robur, et perfectionem: ſic in lapidis noſtri generatione, primò fit coitus, et ſolutio, in ſolutione conceptio, poſt conceptionem imprægnatio per commixtionem in putrefactione, poſt imprægnationem, ortus in perfecta albedine, et poſt ortum nutritio ad robur, et perfectionem in ſumma rubedine, ſicut ſanguis. Et ſicut infans, licèt infans, rationalis dici debet, quanquàm nec in ipſa pueritia, nec in adoleſcentia perfectè ratiocinari poteſt, donèc eruditione, et experientiâ habitum conſequutus fuerit rationis

Pet. Fer.

in-

in virili,& perfectiore ætate; sic lapis noster philosophicus à solutione ad putrefactionem, à putrefactione ad ortum, ab ortu ad partum, & natiuitatem, vnum opus, ad vnum tendens finem dici debet, licèt perfectionem suam in summo rubedinis colore non adhuc assequutus est, quia talem nutritione sua, & tempore debito assequitur perfectionem, quemadmodum etiam ipsa metalla semidigesta, qualia sunt Saturnus & Jupiter, vel potiùs Mercurius non coagulatus, quasi infantes, vel pueri à die in diem vegetant, & in melius vigent, donec perficiantur. Hoc certissimè notum, & exploratum est in mineris fieri, vbi docet indies experientia, quòd paucorum spatio annorum incompletum metallum completur, & indigestum digeritur, nunc in argentum, nunc in aurum. Quantò autem magis, meliùsq; hoc fieri potest operâ periti Artificis, non lis est sub judice, cum post denudationem, solutionem, & liberationem materiæ à forma illa, sub qua erat, disponitur ad formam finalem, & perfectam à natura ordinatam. Etenim ordo, & status hic est talis in metallis successivus, qualis (vt priùs dictum est) in infantibus: præcedunt enim dispositiones, et reales sequuntur habitus. Exempli gratiâ, dicimus cum omnibus alijs philosophis, quòd metallum actu adhuc frigidum, & siccum, melancholicum, acerbum, fœtidum, & fœmineum, potentia, & in suo profundo disponitur in calidum, & humidum, aëreum, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, &

masculi-

masculinum: quia in vno metalla sunt *Omnia*, & metallum quod in vno latere phlegmaticum est, in altero est cholericum, & quod in vno aqueum, in altero est igneum; Ideoq; mutari potest, & mutatur à qualitate in qualitatem, & à statu in statum appetitu naturali, & dispositione propriâ, sed semper in melius, nisi arte fiat retrogressio, & retrogradatio. Dixit itaq; Anaxagoras *Omnia* metalla in *Omnibus* esse, sed denominationem fieri à prædominante. Natura autem metalli vniuscujusq; alia est occulta, alia manifesta; alia in profundo, alia in superficie; alia intus, alia foris, alia patens, atq; alia latens. Sed quemadmodum id quod patet non latet; sic adjutorio artis, id quod latet, patere potest. Quia (vt asserit philosophorum turba) in vnoquoq; metallo plures insunt species, & naturæ metallorum. Interiora auri sunt argentea, & argenti interiora, aurea. Omnia metalla sunt ita colligata, & inter se mutuò deuincta, vt quodlibet eorum mutari possit in actum, & visibilitatem secundum potentiam secretam, & latentem dispositionem; etiam tam facilè mutatur, quam vnum elementum in aliud conuertitur. Quare dispofito à natura metallo, vt informetur, sicut disponitur, si casu aliquo imperfectum illud fiat, & non informetur, sicut à natura disponitur, tunc vt perfectum reddatur, et determinatum consequatur finem suum, artis ministerio opus est. Hermes itaq; ponebat circulationem in metallis, sicut in elementis; quia vt Tho. Aquinas asserit,

Bracest.

Aquin. in principio 4. Met.

asserit, metalla invicem transmutari possunt, quoniam naturalia sunt, et quia eorum materia est eadem; atq; ea quæ ejusdem sunt materiæ, multò faciliùs quàm elementa, mutantur, quià (me Iudice) contraria non tam facilè in contraria, quàm similia similibus et eadem ejsdem gaudentia, quæ ejusdem sunt materiæ, possunt mutari. Fateor corpora metallica, inter se differre, secundum sulphur ipsis inhærens, adurens, vel simplex: remoto autem sulphure malo, et debili in aliquo imperfecto metallo, bona ejus mercurij substantia citò vertitur in aurum, et argentum vivum coagulatum à sulphure albo non vrente, factum purum argentum vi igneitatis, similitèr non vrentis, facilè et citò efficitur aurum. Omnis enim quantitas argenti vivi puri fit perfectio: Magna autem sulphuris vrentis quantitas fit infectio, et corruptio. Error, et ignorantia imperitorum, vel omnium abusus sophistarum non tollunt istius rei veritatem; Illi errant in radice, et in fine, fructus decerpere non possunt. Sapientum autem filij artem veram conficiendi lapidem norunt, & in certâ eorum scientiâ, non opinio, sed est ipsa rei veritas. Quapropter solent philosophi Alchymiam, in hunc, qui sequitur, modum definire. Alchymia scientia est, quâ metallorum principia, causæ, proprietates, et passiones omnium radicitùs cognoscuntur, vt quæ imperfecta, incompleta, mixta, et corrupta sunt; in verum aurum transmutentur. Testimonia veterum multis et certissimis argumen-

argumentis huius definitionis veritatem abundè probant. Et licèt ænigmatibus, et figuris rem ipsam involuerint et obscurarint, hoc tamen, datâ industriâ, factum est, vt avaris et improbis viris, subjectum eorum ignotum, et intactum maneret. Itaque persistant in errore suo, qui per introductam rebus novam, et meliorem formam, de præexistente judicare non possunt. Isti negabunt aliquod imperfectum metallum in aurum posse transmutari, quamvis idem metallum post transmutationem suam reperiatur absq; superabundantia, aut defectu, acquisivisse ipsam formam, naturam, virtutem, proprietatem, ipsaq; accidentia ipsius auri purissimi, et perfectissimi.

CAP. 3.

De fundamento artis non communicando reprobis, & de potestate, & bonitate naturæ, ex Philosophorum Chao dantis Omnia *ad salutem, & propagationem.*

NON est certè aliud fundamentum artis, quam illud, quod est in sole, et ejus vmbra; ex his sapientes præparant lapidem eorum Solarem, Lunarem, et Mercurialem. Mercurialis autem est *Azoc*, id est, nostrum argentum vivum, quod non est illud ex mineris simpliciter tractum;

ſed illud, quod per nos à corpore diſſoluto, per argentum vivum eſt abſtractum, quod tandem dicitur ſpiritus animatus, & aqua noſtra ſolvens corpora, & eorum calces, & cadauera. Quapropter Sol noſter, & Luna noſtra, dicuntur duo piſces, natantes in aqua noſtra, quæ quidem aqua, origo eſt metallorum, & medium jungendi tincturas. De hac autem aqua non loquuntur philoſophi, dicentes, duo tantummodo accipimus elementa, aquam ſcilicet, & terram, in quibus virtualiter *Omnia.* Aqua enim aërem in ſe continet, & terra ignem. Sed de illa loquuntur dicentes, quando ſperma Mercurij conjungitur cum terra corporis, diſſolvitur in aquam ſpermatis, et fit aqua ſine diviſione vna. Quare neceſſe eſt, vt ex Mercurio, & per Mercuriũ eliciatur ſubſtantia vnctuoſa, aërea, in qua latet ſpiritus quintæ eſſentię, quæ ſubſtantia vim habet corrumpendi aurum & in primã materiã transformandi, illudq; volatizandi, & ſpiritum faciendi: fumus enim albus leonem parit viridem, in cuius faucibus aues *Hermetis* nidum componunt ſuum. Fumus hic, ſpiritus eſt, & iſte ſpiritus, extractor eſt animæ, & reformator totius operis, & *Omnia* quæ quærimus, ſunt in eo. Hoc ſecretum eſt vita cuiuſlibet rei, & eſt aqua. Fumus autem aquæ ſuperior deſcendit ad inferiorem, & concipit fumus à fumo. Atq; hæc aqua diuina eſt res cœlitus delapſa, & reductor eſt animæ ad corpus ſuum, & per eam vita eſt, & poſteà non erit mors. Seminate ergo aurum veſtrum in terram ſuam, & cinerem, & terram in fundo

Roſinus.

Herm.

Senior.

fundo nè vilipendatis; Nã ipsum est Diadema cordis vestri, & permanentium cinis. Quapropter dico, & cum Philosophis doceo, quod primum opus est, distillare à terra omnem suam humiditatem; secundum, reducere humidum super siccum suum; tertium, vltimum, & optimum, cum sicco humidum & cum humido siccum finalitèr, & firmiter in nouam creaturam coniungere; ita vt posteà nunquã separari possint. Opus enim in vno incipit, & in alio terminatur. Incipit in crasso, terminatur in subtili, incipit in corruptibili, terminatur in incorruptibili, incipit in terrestri, terminatur in cœlesti, incipit in elementis mutabilibus, terminatur in essentia quinta, immutabili, & permanente. Hoc certè dei optimi, maximi arcanum, reprobis non communicandum. *Morienus.* *Arnol.*

Si sapiens fore vis, tunc serva quæ tibi dico;

Quid loqueris, & vbi, de quo, cur, quomodò, quandò.

Iohannes de Rupescissa non vidit nisi vnum probatissimum theologum, qui intelligeret quicquam ex secreto, & magisterio quintæ essẽtię. Benedicta certè hæc aqua, & verè cœlestis (vti prius, in quærendo, & inveniendo *Aliquid*, dictum est) meritò dici debet, quæ per continuum descensum, & ascensum, vim habet superiorum, & inferiorum, & subtili sublimatione seperatur omninò à corruptione quatuor elementorum, & incorruptibilis ferè fit, sicùt cœlum, & natura cœli. Reducendo autem aquam nostram, & leonem nostrum viridem ad ra-

dices arboris, vbi quasi in antro priùs latebat, & refigendo aquam illam in corpore suo, vndè priùs profluebat, perficimus artificio nostro veram, quintam, incorruptibilem essentiam, quæ omnes potest expellere superfluos, & nociuos humores de corporibus nostris, sanguinem purgare, vires humanas corroborare, dolores lenire, vulnera, vlcera, & infirmitates omnes sanare, & vsq; ad diem mortis à deo constitutum hominem sanum, fortem, & sapientẽ conservare. Aurum commune, & in crassitie sua clausum, talia, & tanta non operatur: Apertum verò & solutũ emittit virtutem suam, & eius natura abundantèr communicat alteri de virtute sua, & hoc aurum à Philosophis vocatur propter summam suam virtutem, in vsum, & auxilium hominis *Aurũ dei*. Ita enim se habet huius auri quinta essentia ratione corporis humani, & microcosmi vniuscuiusq;, sicut ipsum cœlum ratione macrocosmi, & totius mundi. Etenim imitando naturam per quoddam simile, propinquum, & connaturale, habemus *Omnia* Philosophorum, atq; *Omnia* possidemus, quæ in naturæ potestate, virtute, et bonitate sita sunt. Quare Philosophi lapidem suum nuncuparûnt nominibus omnium rerum, tam vegetabilium, quam animalium; quià omnium colorum varietas in lapide apparet; et quià omnia elementa in lapide continentur; et quià omnium rerum similitudines, proprietates, et virtutes sunt in eo; præciosorum quoq; lapidum nobilitas, et cœlestium

Pictagoin turba.

lestium corporum,et spirituum imagines;et quia in omni re cum ipso operatur natura,et sine ipso nihil. Salve,veneranda natura, optima præpotentis dei creatura, quæ nobis hominibus, et in vsum nostrum *Omnia* offers,et *Omnia* das abundè satis,plusq quã animus humanus,peccans,et peccatis abnoxius, exoptare possit, aut expectare debeat. *Omnia* enim philosophorum in cœlo, et á cœlo eorum; atq; hoc cœlum est purior pars purioris substantiæ in separatione elementorum,ab impuris elementis, scilicet superioris ab inferiore. Atq; hæc munda pars eorum mundi,seu microcosmi composita ex rariore aere, et densiore aqua,dicitur incorruptibilis,et nominatur superior mũdus, ab inferiore corruptibuli segregatus, vniversalis est, quinta essentia,et naturalis forma, et verè natura dicitur,quià vinculo vnionis cupit connecti ad alterum, ex quo effectu omnis estcausa generationis. Ecce ab incorruptibili philosophorum cælo fabricata est eorum medicina, valens contrà corruptiones, et vna res simplex contrarios effectus producit in omnibus morbis, licèt morbi sint contrarij, sicut idem sol contrarias operationes in desiccando lutum, et in liquifaciendo ceram. Quapropter Individuum Rubrum reducatur in genus generalissimum, vt infigantur ei virtutes speciales, et vt vinversale nostrum cœlum attrahat sibi formam rubeam, magnetica quasi virtute, tunc cum cœlo concumbunt formæ, & è corpore naturali eliciuntur cœlestes

virtu-

virtutes, affixæ in cœlo noſtro, & ſeræ phyſicæ reſeratæ ſunt claue philoſophica; & deniq; particularis formæ, & individui cum vniverſali fit confuſio & Chaos, vbi *Omnia*. Nunc etiam cœlum noſtrum ſtellatum cœleſti calore ſuo, ad generationem valet, quia Sol in cœlo noſtro omnium rerum eſt vegetatio, & conſervatio, vitamq; & calorem inferioribus quodammodò inſpirat lumine ſuo, & vitali quaſi halitu ſuo. Quemadmodum enim ſol cæleſtis ille, qui à nonnullis dicitur cor cæli, mundi oculus, & ſpeculum lucidiſſimum, omnes omnium cæleſtium vires in ſe colligit, & eas per ejus ignea ſpiracula diſſeminare ſolet: ſic certè Sol philoſophicus in cœlo noſtro (præſertim autem Sol auri, dicentis, Sol meus, & radij intimi mei ſunt in me) ornatus videtur lumine, & calore, & ſplendore ſuo, & certè ornatus eſt maximis, imò omnibus cœleſtibus virtutibus, quibus inferior mundus, ornatus, & beatus eſſe poſſit, ad ſalutem, & propagationem, tam metallorum, quam hominum.

CAP.

CAP. 4.

De Sole vero, & Philoſophorum vino, natura ſanctuario, & ipſius auri domicilio, Omnia *ad aurum neceſſaria continente.*

QVæri autem ſolet quomodò hic Sol capi poſſit? Et dicimus cum Gratiano in Roſario Phil: de omni re poteſt fieri Cinis, & de illo Cinere ſal, & de illo ſale aqua, & de illa aqua fit Mercurius & de illo Mercurio per diverſas operationes fit Sol. Iſte Sol frater eſt Draconis, vbi ſoror eſt Luna; et frater & ſoror in vna aquâ ſubmerguntur, quæ deſcendit in terram, vt fertilem reddat illam. Quemadmodum enim Sol in firmamento ſuperiore dicitur Dominus omnium planetarum, & cor cœli, in medio cœli poſitum, reſpiciens ſurſum vſq; ad Saturnum, & deorſum vſq; ad Lunam, quia omnes planetæ ejus egent lumine: Sic etiam in Aſtronomia inferiore fieri ſolet, vbi Sol noſter cõtinet aurum, non vulgi, ſed philoſophorum, quod in medio cœli noſtri fixum reſpicit omnes alios planetas, & ijs lumen ſuum infundit, vt niteſcant, & meliores, & nobiliores fiant, quam in ſeipſis eſſe poſſint, virtute & potentia Solis noſtri, in quo vita & viriditas. Etenim noſter Sol tinctura eſt rubedinis, transformans omne corpus, beneficio Solis no-

ſtri dominantis inter planetas; ſicut fermentum totam menſam convertit ad ſuam naturam. Eam ob cauſam dicimus(ſicut priùs)cum philoſopho, Solem &ejus vmbram eſſe totius artis fundamentum; & ex his duobus,pater Hermes confecit tincturam ſuam. In his enim fumus albus,aqua cœleſtis, Mercurius philoſophorum, vis quinta, Leo viridis,æs Hermetis,aqua fœtida,in qua *Omnia*;Morieno teſte,& dicente, aqua hæc mater eſt omnium metallorum, ex quâ, per quam, & cum qua præparant philoſophi ipſum Elixir in principio,& in fine. Hęc enim aqua ille eſt Mercurius, in quo ineſt quicquid ſapientes quærunt, & in eo eſt Sol noſter, generatus ex Mercurio crudo, & coagulato,tanquam ex forma, & materia; à quibus verus extrahitur ille philoſophorum Mercurius, qui tabernaculum eſt Solis noſtri, ſicut ſpermatis tabernaculum eſt ſanguis,& ſanguinis caro. Præparate ergo Mercurium,& ejus terreſtrietatem, & aquam ſuperfluam delete, & deponite, vt mediam ab illo ſeparatam ſubſtantiam, ſiue naturam aſſequamini: Et coagulate eum cum ære, & extrahite ab eo menſtruum maternum,& ab ære ſemen paternum, & fiet quod quæritis,quia diſſolvetur corpus, & coagulabitur ſpiritus, & hæc duo in vnum coagulata detinent metallorum ſpiritum,omnem ſcilicet virtutem mineralem,Mercurium philoſophorum, in quo Omnis natura metallorum,etiam ipſa anima,ſiue ſpiritus quintæ eſſentiæ per magiſterium noſtrum quieſcit,

Exercit. in turb.

escit. Quisquis nunc non norit imperfectum tingere metallum, & tingendum, in tingentis naturam transformare, ita vt postea tingentis, & tincti vna natura permaneat in figente. Certè idoneus non est hujus philosophiæ discipulus, nedum filius. Spurius nec potest, nec debet apertis oculis suis contemplari, vel conspicere Solem nostrum: filius autem artis, qui Solem nostrum rectè, & non obliquè contemplatur, penetrat ipsum Solem, cœli scilicet nostri cor, vnde *Omnia*, philosophorum vitam, vegetationem, atq; ipsam animationem infundentia, emanant, & profluunt.

Virginis aspectus penetrat sine vulnere corpus;
Cum cor, abstuleris, pus, dabis inde alijs.

Etenim noster Sol vivus, solaris corporis est Cor, et vitam *Omnibus* metallis inspirat, et ab illo est omnis tinctura in ære nostro; sulphuris etiam non vrentis, et æris nostri est pater, et concipere facit *Beiam*, cum agit in eam, nutrit, fovet, et auget lapidis vegetabile. In primâ inest materiâ, et in vltima perfectione perfectissimi metalli, terram facit proferre, et perficere fructus suos. Deniq; *Omnia* efficit in *Omnibus*; et non solum ipsa metalla, sed *Omnia* facit florescere, et pubescere; inferiori huic mũdo in omnibus spiracula vitæ diffundit; Omnes etiam vitæ virtutes *Omnibus* specierum individuis impertit, *Omnia* calore vivifico entia permeat; in *Omnibus* initium, et fons est, et *Omnes* ab eo fluunt rivuli, secundum ipsius fontis naturam, debitam for-

mam, et speciem in infinitum. Deniq; planetas *Omnes* regit pro libitu suo, et in cœlo nostro cursum suum celerem peragit, donec quinta essentia in aqua nostra philosophica virtutem suam summam in rebus *Omnibus* sit consequuta. Ad Solis enim aspectum *Omnes Omnium* cœlestium vires cōgregantur, et coalescunt in vnum, quæ per igneos radios et influentias suas disseminantur in mundum hunc inferiorem. Quapropter quæramus, et ab auro eliciamus secretum illud, ad conficiendum lapidem, potestatem habens omnia transmutandi metalla in aurum. Id certè *Aliquid Omnia* continet, quia generat, nutrit, et perficit Solare complementum. In eo enim insunt *Omnia*, ad aurum necessaria; *Omnia* (inquam) philosophorum necessaria, et *Omnia* in auri domicilio habitantia, et ad ipsissimum aurum pertinentia. Nam *Omnia* sunt in *Omnibus*, et vnaquæq; *Omnium* rerum forma specifica dat rebus seorsim *Omnibus*, vt sint, et dicantur. Redeamus itaq; ad essentiam, naturam, siue principium rei, quam quærimus, et in principio finem attingemus, et in fine principium inveniemus. Omne autem extraneum, et à re alienum, *Omnia* nostra invtilia reddit, et corrumpit. Similia verò similibus gaudent, et qui secum *Omnia* habet alieno auxilio nullatenùs indiget. Quapropter vt *Omnia* assequamur, de quibus nunc disputamus, ingrediamur ipsius naturæ sanctuarium, et in penitioribus, et abditissimis, calorem vivificum excitemus, vt splendorem

Morien.

rem

rem,et ſpiritum,cuncta permeantem entia,vitamq; inſpirantem, & propagantem capiamus, et ad materiã aptam,et propinquiſſimam diſponamus :Producemus tunc effectum reipſa longè præſtantiorẽ et potentiorẽ,Hæc autem vita, ceu ſplendor,et ſpiritus iſte generativus latet in corporis ſui ſemine,in quo Mercurius philoſophorũ,et naturæ vegetabile, tam in metallis, quàm in herbis. Mercurius iſte, noſtrum eſt argentum vivum,in quo eſt forma,continens materiam totius, quo indigemus ad eſſe naturale, ſecundum ſuam ſpeciem in qua propriè *Omnia* continentur. Quarè cùm differant metalla niſi decoctione, maiore, vel minore, aut ſulphuris adurentis miſtione, ſtuduerunt philoſophi ſecernere radicale ſemen, et naturæ vegetabile ab ipſo auro, et eius inducere lumen, et ſplendorem, pondus, et permanentiam imperfectis metallis. Atq; hinc tranſmutatio metallorum facilè fieri poteſt, In rebus enim confuſis,et diverſę naturæ, ſcilicet fugitivæ et fixæ, vel frigidæ, et calidæ, ſi res ſint eiuſdem generis metallici, vnum contrariũ ſuperat alterum,et ambo in vnitate, et virtute eadem ſimul ſine contrarietate tandem conquieſcunt.Quàmdiu autem ſpiritus vitæ otioſus manet in corpore ſuo, nihil prodeſt: ſolutus vero à vinculis corporeis liberè virtutem ſuam potentem,& cœleſtem exercere, atq; alijs impertiri poteſt, per dulcem amorẽ in puro Mercurio, & per amplexum, & copulam ſine ſeparatione. Virtus hæc,eſſentia eſt realis, com-

Lul. Ars Intellect.

posita ex duobus contrarijs differentiam distinctam habentibus: sicut differunt vir & fœmina, agens & patiens, Vulcanus, & Minerua, sulphur & Mercurius, ignis & aqua, forma & materia, etiam aurum ipsum, & eius compar. Sit ergò solutio corporis, & analysis physica per elementorum dissidium, & discordiam, ità tamen, vt custodias argentum vivum, ne avolet spiritus in resolutione; sed vt veteri penitus exutâ naturâ, nova, & multò nobilior exurgat, (conservatâ formâ) ne pereat. Vincentem iam & triumphantem conspicies philosophorum Mercurium, in quo eorum *Omnia*; in quo etiam *Omnia* insunt metalla, qui etiam *Omnia* renouat, purgat, & perficit, quià *Omnia* in se continet, & ad aurum via est media, sicut phlegma ad sanguinem in corpore humano. Mas est, & fœmina, Hermaphroditus, in quo generativus spiritus, & à quo seminaria virtus, adiuvans omnem naturam, defectu laborantem, reditu suo restaurans, & renovans primò cadaver suum, deindè omnia metallorum corpora in summam perfectionem, sicut ipse spiritus perfectus est, promptus, petens, & potens, sui simile, & sibi conforme corpus generare in homogeneis: formalis enim, et specifica virtus vniuscuiusq; rei multò præstantiores, et potentiores præstat operationes post alterationem, digestionem, et eius sublimationem, quàm vel ipsum corpus, vel eiusdem rei materia priùs præstare poterat.

CAP.

CAP. 5.

Quid sit natura, quid lapis factus Omnia in Omnibus, *quid quinta essentia metallica, quomodò separetur à materia elementari & de inimicitia elementorum; quæ beneficio quintæ essentiæ, priùs pugnantia, vtrisq; (vt aiunt) vlnis pacem amplectuntur.*

PHilosophi clamant, vt in opere philosophico naturam sequamur. Hæc autem natura nihil aliud est, quam vis quædam seminaria, à Deo optimo maximo rebus insita, ex similibus similia procreans, atq; hinc *Omnia in Omnibus*, atq; hinc Omnium rerum generatio, germinatio, vegitatio, et viriditas. Atq; hæc viriditas à philosophis benedicta dicitur, cunctas res germinare faciens. Qui viriditatem hanc vidit, Leonem illum viridem è cavernis suis exire coegit, exeuntem cepit, captum retinere, fouere, et nutrire potuit, donèc aptus fieret ad coniunctionem, in coniunctione ad generationem, in generatione ad propagationem, augmentationem, et sui similis multiplicationem in infinitum. Etenim viridis iste Leo valdè fortis est, virtutem suam diffundens in vniversum, et rebus Omnibus dans suum esse, ipsis etiam metallis formam, quâ à reliquis differunt. Cùm enim imperfecta metalla, quasi imbecilles Leonis catulos in

sinu

ſinu ſuo geſtent,ſenex, et fortis auri,perfectiq; metalli Leo,vigore ſuo illis fortitudinem , perfectionem,et ſplendorem permanentem infundit; impurum,corpus purum,imperfectum metallum perfectum reddit, et terram ſplendore ſolis niteſcere facit , eamq; ab impuritate , et tenebris ſuis ſecreto ſolis ſpiritu, et tinctura intimè purgat, renovat, et purificat. Itaq; lapis noſter dicitur *Omnis* res , vel *Omnia* , quia habet in ſe, et de ſe Omnem rem neceſſariam de ſua perfectione , cum Omnibus participat elementis , et ob eam cauſam non ſolum *Omnia* dicitur,ſed apud Omnes, et in Omni loco, et in Omnibus reperitur. Omnibus etiam nominibus nominatur, propter naturæ ſuæ dignam,et mirabilem colorum varietatem. Viliſſimus eſt per putrefactionem, et chariſſimus per virtutem; et clariſſimus per ſplendorem. Hunc ſi extraxeris lapidem ab illa re,in qua invenitur,et circà ipſum inceperis operari ad perfectionem , incipiendo vbi natura deſijt,invenies in eo perfectum,et gaudebis. Corpus enim perfectum,perficit imperfectum, et in ſubtili præparatione corporis perfecti, reperitur ſulphur eius per noſtrum magiſterium ſupra terram, vnde coagulatio fit Mercurij , et tinctura exiſtens ex duobus , vel (vt nunc magis propriè dici poteſt) ex vna re ſine mixtione alicuius rei extraneæ. Hinc *Omnia* quæ in noſtro auro ſunt , virtutem ſuam exerunt, & exercent, & omnia dura corpora (qualia ſunt Mars & Venus) reti Vulcani ſubtiliſſimo

tilissimo ligant, & mollia, sicut aurum molle est, reddunt. Corpora autem mollia (qualia sunt Iupiter, Saturnus, & ipse Mercurius fugitivus) dura, & fixa faciunt; & omne corpus fœdum, illustre, vt luceat splendore inenarrabili. Lapis enim noster in *Omnibus Omnia* factus, licèt priùs pars tantùm fuit argenti vivi purissimi, crudi, & cocti, non in sua priore natura, aut substantia manentis, sed ex parte eius subtilissima extracti, ex parte, scilicet, patris & matris, Solis & Lunæ (vnde omnium liquibilium, & luminarium sunt Omnia) minima tamèn eius pars mirabilis est res, quæ, teste Aristotele, *Omnia* in se habet, quæ quærimus, cui nihil addimus, nec diminuimus, nisi quod in sola præparatione superflua renovemus. Illa res materia est prima metallorum, substantia fumosa, humiditas vnctuosa, & lachryma clara, in qua habitat quinta essentia metallica, & medium iungendi tincturas; quia habet naturam sulphuris, & naturam argenti vivi. Est sanè hæc quinta essentia spiritus animæ mundi diffusus per partes corporeas, & elementales (secundùm Marsilium Ficinum) & per se subsistens, differens ab omnibus elementis, & elementatis, tàm in materia, quàm in forma, tàm in natura, quàm in virtute; Et fumus vocatur rubeus, & à Iohanne de Rupescissa, anima vini: Sed à philosophis antiquis, & Neotericis, aurum dicitur philosophorum. Hanc autèm quintam essentiam, siue vinum rubrum, fumus albus, (qui dicitur lapidis spiritus) portat in

Arist.

Arnol.

Democr.

ventre suo. Atq; hanc quintam essentiam, nec terra, nec aer, nec aqua, nec ignis potest corrumpere, sed incorruptibilis est, & separata à materia elementari; Ideòq; non actu, sed virtute, calida est, & sicca, vt ignis; nec calida, & humida, vt aer, qui corrumpitur; nec frigida & humida, vt aqua; nec frigida, et sicca, vt terra; sed simplex & separata à materia elementari; sanans (cum perfectè digeritur) omnes morbos frigidos, caliditate; morbos calidos, frigiditate; aquosos, terrestrietate; melancholicos, & terrestres, humiditate: Et tamèn nec calida, nec frigida, nec humida, nec sicca est nostra quinta essentia, sed simplicitèr *Omnia*, si ritè decoquatur & digeratur. Elementa inter se sponte sua non colunt amicitiam, neq; enim inter eorum appetitus, aliqua est consensio; discordia autem, & dissensio maxima. Aqua enim pugnat cum igne, vt eum extinguat: ignis cum terra, vt eam consumat: terra cum aqua, vt eam obsorbeat: & aer cum omnibus alijs, vt ab eis avolare queat. Quòd autèm in amicitiam, & familiaritatem coïncidunt, & pacem, & concordiam amplectuntur, id certè beneficio quintæ essentiæ, siue spiritus vitæ, factum est, qui quidèm spiritus medium est coniungendi, & est forte retinaculum, & arctissimum elementorum vinculum, ipsa inter se elementa pugnantia, idem nolle, atq; idem velle, efficiens. Ita vt postea, tanquam delecti, & dilecti ciues in eâdem Ciuitate, diffidere non possint, cessante enim pug-

nâ.

nâ, elementa remanent vnita,& pacata, & omnes tincturę sunt in vno subiecto. Cùm autem ille vitæ spirit⁹ (prudentis operâ artificis)à corpore suo exhauritur, statim à familiaritate, & amicitia recedunt elementa, adeòq; intestinum ineunt bellum, ità vt totum corpus, in quo priùs stabili cum amicitia permanebant,alterationi,corruptioni,& morti subijciatur, adeôq; in *Nihilum* nostrum rediga- *Arist. de cœlo lib. 1. cap. 13.* tur. Summo autem cum gaudio facilis est reditus illius spiritus vitalis ad corpus suum, à quo priùs profectus est tempore suo, ita vt posteà invicem nullo modo vnquam separari, disiungivè possit. Hinc novum cœlum, & nova terra. Loquor philosophicè, de eorum,scilicet,cœlo, & eorum terra.

CAP. 6.

Omnia *in* Omnibus *Philosophicè sumptum, refert nos ad* Omnia in *Omnibus theologicè dictum.*

SAt scio, noui philosophorum cœli, novæq; terræ frequentē contemplationē, & assiduam meditationē etiam ipsis theologis maximam posse afferre vtilitatem. Docemur enim per metallorum renovationem,corpus nostrum animale, non posse consequi incorruptionem,donec,deponat corruptionem suam; nec immortalitem,donec mors absorpta sit in victoriam; nec spiritualitatem *1. Cor. 15.*

Adami ſecundi, donec limus terræ *Adami* primi plenitudine deitatis carnem noſtram ſibi adaptantis, ad ſtatum ſpiritualem informetur. Tunc verò geſtabimus imaginem cœleſtis, ſicut priùs geſtavimus imaginem terreni, quando corpus animale fiet corpus ſpirituale, & ignominioſum, excitabitur glorioſum, & infirmum, potens. Regnat enim, & regnabit Chriſtus ſecundus Adam vſq; dum inimicos omnes pedibus ſuis ſubiecerit, vt Deus ſit *Omnia* in
5. *Omnibus.* Sed *Omnia* in *Omnibus* quoad Theologos non eſt hic narrandi, vel exponendi locus. In hoc tractatu veniam peto, vt philoſophum agam; reſervata myſterij tanti explicatione in aliud tempus opportunum. Intereà certus ſum, quòd *Omnia* in *Omnibus* philoſophicè ſumptum refert nos, ad *Omnia* in *Omnibus* theologicè dictum; ſcilicet ad Deum rerum Omnium præpotentem Creatorem in quo, & à quo ſunt *Omnia*, & quòd ſolus Deus erit reverà *Omnia* in *Omnibus*, cum Chriſtus Ieſus Omnia regna ſurſum reddet Deo patri, qui priùs ſubiecit Omnia ſub pedes filij. Omnia enim Chriſto priùs erant ſubjecta, vt Deus pater *Omnia* in *Omnibus* in victore filio triumpharet. Itaq; breuiter in piorum conſolationem paululum relicta obſcuriore, & obliquiore philoſophorum ſemita, & cum ipſis theologis ambulans in recta profeſſionis, & prædicationis Epiſcopi Catholici via, dico, quòd gloria patris priùs poſita erat in dominatione filij, debellando hoſtes, tollendo peccata, ipſum

Sa-

Satanam priuando poteſtate ſua,ipſam etiam mortem penitus abolendo: Cum verò ipſe filius ſubjicietur ei,qui ſubjecit ipſi Omnia,vt Deus ſit *Omnia* in *Omnibus*;tunc plena & completa erit Dei gloria in filio ſuo, & filij ipſius gloria in membris ſuis capiti adjunctis, in vltimo illo,poſt reſurrectionem carnis,die.Etenim in illo die Omnia ad Deum tanquam vnicum ſuum principium & finem reducentur,vt Deus ſolus ſit *Omnia* in *Omnibus*, quatenus ipſe Chriſtus cum ſua Eccleſia vnum corpus conſtituat, quod fæliciter, & perpetuò fruetur contemplatione dei. Nam Chriſtus eccleſiæ ſuæ caput corpori ſuo dabit Omnia in Deo,qui *Omnia* erit in *Omnibus*,vt fideles, & electi ſatientur, lætentur,& ditentur præſentia Dei,& in Deo Omnia bona poſſideant ſinguli. Erit enim Deus in vnoquoq;,patientia,ſicut in *Iob*:obedientia,vt in *Abraham*; manſuetudo,vt in *Moſe*; virginitas,vt in *Daniele*; ſapientia,vt in *Solomone*; & Omnia dona, quæ nunc diviſa ſunt electis,tunc poſſidebunt ſinguli, in eo, & per eum,qui *Omnia* erit in *Omnibus*; quia quicquid amari, vel appeti poſſit, tunc electi poſſidebunt in Deo,cauſaliter,objectivè,& fruitiuè. *Haymo.*

Omne bonum,ſummumq; bonum,merceſq; bonorum
Illa Dei in cælis confert tibi viſio ſola.
Eſt ibi ſolennis,iucunda,dieſq; perennis,
Gloria,laus,requies,amor,& concordia dulcis,
Pax,pietas bonitas,lux,virtus,ſplendor,honeſtas,
Nil ibi deficiet. Deus omnibus omnia fiet.

In cujus rei meditatione, inpræſentiarum lubens acquieſco, expectans illam cum electis omnibus beatitudinem,& gloriam, quam præparauit Deus diligentibus ipſum. Etiam non ſpirans,in ſepulchro ſperabo tamen in verbo illius, qui per Prophetam dixit,Ero Deus tuus. Interim redeamus ad philoſophiam noſtram, quæ (Cicerone teſte) nos primúm ad Deorum cultum, deinde ad jus hominum erudivit,eademq; ab animo,tanquàm ab oculis caliginem ita diſpulit,vt omnia ſupera, infera, prima, vltima,media videremus. Præpotens certè, & præclara,imò divina eſt illa philoſophia, quæ virtutum omnium in terreniş eſt diſciplina, & in cœleſtibus conſtans,fortis,& non periturus Iudex. Intenti autẽ & omnimodò propenſi ſimus ad rem quã judex noſter philoſophicus,præſertim in divinis oſtendit; tunc enim illud ſequemur,& fideliter agemus,quod & hominibus,& angelis, & ipſi Deo placere poſſit. Plumbeus in ſuis phyſicis ſit ille philoſophus,& Satanæ miſer tradendus,qui fide relictâ,& deſpectâ,rationi omninò innititur, & de rebus planè divinis,& ad ſalutem animæ pertinentibus,philoſophicè cum ratione,& nõ theologicè cum fide diſputat; qui naturam ducem ſempèr in omnibus ſequitur, donec cum ratione inſanire videatur. Miſer iſte non novit, quòd à Deo vnivſcuiuſq; rei,ipſius etiam naturæ proficiſcatur initium. Ideòq; prorſus ignorat, quomodò quis perveniat ad ſummum ſuum bonum. Eſſentia verò rerum noſtra, agens fortiſſimum,

Tuſcul. Quæſt.

mum, forma simplex, & splendida, non solùm intellectum humanum aperit, & rationem nostram promovet, sed etiam nos ad ipsum Deum, in luce æterna habitantem manuducit, vt intelligamus cœlestia ipsa in terrestibus, secundùm magis, & minùs esse effigiata. Quantum enim vnaquæq; res habet in se luminis, tantum habet et numinis. A lumine bonum nomen, A numine bonum omen. Dixerunt ergò philosophi, Omnia plena Dijs esse; & Poeta, —*Iovis omnia plena.* *Otreb.*

Neque enim quicquam divino auxilio viduatum, sui naturâ potest consistere. Sicut enim sublato Sole, cuncta statìm tenebris includuntur: sic cœlesti igne, qui omnia fovet, et conservat, extincto, vnaquæq; res statim flaccescit et emoritur. *Corn. Agrip.* *Otreb.*

CAP. 7.

Vndè petenda est metallorum quinta essentia, per similitudinem, Medium Paradisi, nominata, vbi sapientum medicina præstantissima.

Essentia nostra quinta, ornata Sole nostro, infundit rebus virtutem cœli, & Solis nostri, hoc est, vitæ conservationem, humidi radicalis restaurationem, et ipsius juventutis renovationem. Hæc autem essentia quinta ab auro petenda est, quia illud solum à corruptione defendit, quod non corrumpitur, et illud solum diù cōservat, quod conservatur. Aurum, nec aer potest corrumpere,

nec

nec terra putrefacere, nec aqua diluere, nec ignis consumere, sed durabile est in omne ævum, quia in æqualitate sua seipsum conseruat. Quare si occulta ejus virtus fiat manifesta, potest non modò metallica, sed etiam humana corpora ad elementorum concordiam, et æqualitatem reducere in sanitatem. Nostra enim quinta essentia generata est virtute Solis nostri, et recipit Solis virtutem, et à Sole substantiam quasi incorruptibilem, et nobis infundit calorem, naturam, et virtutem suam, quæ quam

V I T

magna sit, bene nouit, qui visitauit interiora terræ

R I O L V

rectificando inveniens occultum lapidem, veram

M

medicinam. Nam in vitriolo nostro (cujus literæ dissectæ in verba superiùs prolata docent visitationem interiorum) omnes omnium rerum, quæ sunt in mundo virtutes infiguntur, et imprimũtur. Quare vocatur lapis noster, minor mundus, in quo vegetabile, animale, et minerale. Itaq; visitabis interiora terræ, &c. Et tamen non dicimus medicinam hanc omninò incorruptibilem, sed quia genita est ex materia, et re, non simpliciter, sed comparativè incorruptibili; dicimus eam prorsus simplicem esse ex separatione omnium elementorum, non manibus, sed regimine suo, iterum elementa componente, et in vnum reducente, ad naturam excellentem, et virtutem planè cœlestem, et ob eam causam posse

se diù servare corpus humanum incorruptum & in vigore suo, protrahendo vitam, & augendo vires, tam in juvenibus, vt radicale humidum, & calidum innatum conservetur; quàm in senibus, vt amissum restauretur, & ipsa quasi juventus, quoad salutem & sanitatem illis restituatur. Atq; hoc modo licebat, & adhuc licet viris, sapientiâ, & Dei optimi maximi gratià præditis, decerpere, & gustare fructus ligni vitæ in medio horti Paradisi nostri crescentis; sed non ad immortalitatem, ad terminum tamen à Deo positum, quem prętererire non licet. Deus enim vitæ nostræ curriculo certum terminum, & veluti cancellos quosdam circumdedit, quos nullo modo transilire possumus. Neq; enim nefas est, medium intrinsecum, & absconditum nostrum, medium Paradisi per similitudinem nominare, quia in vtrisq; salus, & vita, sed non tota, nec tanta. Primis patribus ad multiplicandum genus suum est concessa vita longa, at proximi propter peccata longiùs à Deo, & à vita longa sunt remoti, quia expulsi non solùm à Paradiso, & privati ligno vitæ; sed in tenebris, & ignorantiâ versati lignum nostrum vitæ in medio Paradisi nostri non nôrunt, nec intellexerunt. Adam autem plenus scientiâ, & plenus sapientiâ, plenus erat dierum, & patres antiqui coram Deo, tanquam amici Dei ambulantes, & viri facti sapientes, diù viuebant, & post eos docti, & boni viri ab illis edocti, invenerunt medicinam, quam vocarunt comparatione, & respectu re-

rum corruptibilium, incorruptibilem; quam tanquam ex medio Paradisi, ex subtilissima, & simplicissima perfectissimi metalli cōfecerunt substantia, in qua radicalis humiditas intrinsecùs diffusa per partes elementales incorruptibilis videretur; quia simplex, & à cœlo, à quo nō subitò, sed per mille annorum spatium, virtutem suam, vim, & vitam, quasi perpetuam acquisiverat. Atq; hæc est sapientum medicina, genita ex re efficaciore, & incorruptibiliore, quæ in mundo existit. Aurum commune, (vt priùs dictum est) & in crassitie sua clausum, talia, & tanta non operatur; solutum emittit virtutem suam, & eius natura abundanter communicat alteri de virtute sua. Vires enim cœlestes à cœlo in terram auri fluebant, & terra cœlestes operationes optimè, & subtilissimè recepit, atq; has philosophi in lucem producere contendunt, removentes terreitatem, & densitatem metalli, & reducentes illud in primam simplicitatem, quæ post veram decoctionem, tantam vim ostendit, vt quasi subitò humana corpora immutare, & ea ad veram sanitatem reducere possit.

Ars solet hæc dominum sæpè iuvare suum.

Medicinas alias ex vegetabilibus non vitupero, habent suas virtutes, & saluti conducunt, aliquando tamen fallunt, nec omni complexioni subserviunt, vim habent expulsivam superflui, & nocivi; sed deficiunt in renovatione, & restauratione salutis, nisi per accidens id fiat, idq; aliquandò. Non enim sem-

per,

per,& ſimpliciter per ſe,& ex certa medicinæ illius natura illud fit; quemadmodum in medicina noſtra fieri ſolet,quæ non modò removet nociua, ſed renovat ad ſalutem neceſſaria. Mouet enim elemẽta,& in motu vivificat ea, et in actum ea producit, ita vt nova quædam naturalis vita videatur realiter vegetare. Et hoc modo dicunt philoſophi, quòd individuum illud,quod nunquam paſſum ſit intemperiem, vel inæqualem miſtionem,omnẽ ægritudinẽ depellit, ex intemperie,et minùs juſtâ primarum qualitatum proportione ortã. Medicina vegetabilis(niſi Chymicè ſit confecta) multa, (vt vocant) continet ſimplicia, in quibus ægrotus queritur, Quantum! medicina verò mineralis,vna res eſt,ſimplex,pura,potens,in qua queritur,Quale! ſed Quantum illud, ſpe tantum expectat, quod Quale noſtrum re perficit. Medicina hæc, non ſicut illa,corruptibilis, quia vitalis; non materialis cum terra, quia formalis, et eſſentialis cum omnium elementorum æquali,et puriſſima mixtione;non evaporabilis,quia fixa;non ſeparabilis,quia ſolida;non diſſolubilis,quia firma; nec immatura, vel cruda,quia perfectiſſimè digeſta ex compoſitione, quæ nullo modo ſeparari, diſiungive poteſt; quæ non ſolùm expuit,et expellit impurum in metallis ægris, vt ea tranſmutet,ſed nocivum in corpore humano ęgroto,vt illud ita reformare,et renovare poſſit,vt mens ſit ſana in corpore ſano. Itaq; medicina noſtra vocatur *filius ignis*, imò rex ex igne proveniens, cui,

Corn. Agrip.

ſicut obedientes ſubditi, ſubjiciuntur Omnia metalla. Metalla enim omnia regi noſtro ſubſerviunt, et rex noſter omnia illa, quæ vult, in ſtatum ſuum regium, ſplendidum et ſublimem extollit. Inprimis autem cavendum eſt, vt noſter *filius ignis*, nec leproſum habeat patrem, nec leproſam matrem, tunc enim filius quoq; leproſus erit, et opus erit leproſum. Sed purior et pinguior pars puri patris cum matre pura, purum, et præclarum generat filium. Quis autem poteſt facere purum, de impuro conceptum ſemine? Nihil dat, quod non habet, nec vnquam in re aliqua invenitur, quod in ea non eſt. Quare quærendum mundum ſemen à corpore mundo, cujus complexio ſit æqualis, et temperata, nec calida, nec frigida, nec humida, nec ſicca, ſed *Omnia*, vbi noſtra *Ælia*, ignis ſcilicet filia, Solis eſſentia, et vitæ virtus inviſibilis, clariſſimo amicta lumine, influxu ſuo dat *Omnia*, quia de ea prædicantur *Omnia*, ſicut de natura, et ipſa etiam prædicatur de *Omnibus*, ſicut natura. Vnum enim eſt totum, (vt rectè aſſerit Nicolaus Bernardus in ænigmaticum illud epitaphium de *Ælia Lælia*) ob quod ſunt *Omnia*, et ſi totum non haberet totum, nihil eſſet totum. *Ælia* autem noſtra tota eſt in toto, et tota in qualibet parte, in perfectis perfecta, in imperfectis imperfecta, quia verſipellis, et converſiva, ſecundum patris, et matris formam eſſentialem. Quapropter in memoriam revocate dictum *Dauidis*; Eloquia domini, eloquia pura, ſicut argentum igne examinatum

Iob. (margin, beside "um. Quis autem…")

Pſ. 12. (margin, beside "in memoriam revocate…")

tum, purgatum septies; Et Mercurium nostrum ab omni sorde purgate, vt transmutari possit in corpus, & sulphur nostrum vivum ad primam materiam reducite, vt omninò spirituale fiat.

CAP. 8.

De occulta rerum virtute, quæ sit, & vnde proficiscatur; & de distincta proprietatis, & qualitatis differentia.

NIhil (vt inquit Aristotles) est in intellectu, quod non priùs fuerit sub sensu. Quarè ex apparente & manifestâ rerum figurâ, de occulta & invisibili rerum forma decernimus & iudicamus. Quod enim oculis nostris obijcitur, de eo statim sententiam ferimus, & illi nomen suum proprium imponimus; rem autem ipsam, quę vitę et vegetationis radix est, non videmus. Neq; enim occultę in rebus formę, et formarũ proprietates ab elementali sunt naturâ, sed cœlitus rebus insitæ, et à spiritu mundi per ipsos stellarum radios, (vt loquũtur philosophi) nutu dei proficiscuntur; et à nobis non alitèr quàm experientiâ, et coniecturis comprehendi possunt. Talis est virtus illa in Magnete attrahente ferrum; et vicissim illa in Adamante impediens Magnetem, nè ferrum attrahat. Virtutes illas, sive sympatheticas, sive antipatheticas, vocârunt philosophi divinas, et a Deo in res diffusas;

atq; has ipſarum rerum vitam, ſive animam dixerunt. Sed nos non de tali rerum virtute, ſeu vita, nunc diſputamus, qualem in Magnete invenimus; ſed de tali fit ſermo, qualem in Magneſia noſtrâ, et Omnibus alijs naturatis, et generativis rerebus ſcimus. Virtus enim illa ſic ſe habet reſpectu quatuor qualitatum, ex quibus corpora ſunt compoſita, ſicut ſe habet cœlum reſpectu quatuor elementorum. Cœlum autem vocarunt philoſophi quintam eſſentiam, quià incorruptibilis eſt, et immutabilis ſicut cœlum. Quinta verò eſſentia ſpiritus eſt animę mundi, diffuſus per partes corporeas, & elementales. Quam quidem eſſentiam, Iohannes de Rupeſciſſa appellauit vinum noſtrum, vini animam, & aurum philoſophorum. Quinta hæc eſſentia elementum non eſt, nec elementalem habet qualitatem actu, ſed virtute; actu enim (ſicut ſuperiùs dictum eſt) non eſt calida, & ſicca, vt ignis, quia infrigidat, & morbos ſanat frigidos; nec actu eſt humida, & frigida ſicut aqua, repugnat enim elementari aquæ, & calefacit; nec actu eſt calida, & humida ſicut aer, non enim corruptionem alijs inferre, vel ipſa corrumpi poteſt; nec actu eſt ſicca, & frigida ſicut terra, quia acuit, & calefacit. Quapropter meritò dicatur *Omnia* in *Omnibus*, quia omnia corpora in eſſe ſuo, humana præſertim, ab omni corruptione, ſi ea rectè vtamur, diutiſſimè conſervat Et ob eam rem dicitur *cœlum humanum*, ab altiſſimo creatum ad conſeruationem quatuor qualitatum

Marſil. Ficin. lib. de tripl. vita.

humani

humani corporis, ſicut cœlum cœleſte ad conſer-
vationem totius vniverſi. Quinta hæc eſſentia à
philoſophis nuncupatur ſpiritus, & conſeruatiuus,
et generatiuus virtutem in ſe habens ſeminariam,
atq; hanc virtutem potenter, & abundanter in per-
fectiſſimi metalli corpore, latentem & incarcera-
tam dixerunt. Quare contenderunt illam ſecernere,
& ſegregare à corpore ſuo, vt illius ſpiritu corpus
imperfectum in perfectum tranſmutarent. Etenim
per hunc ſpiritum mouentem res omnes, omnis
occulta rerum omnium proprietas, & virtus pro-
pagatur, et rebus homogeneis infunditur, nec repe-
ritur aliquid in toto mundo, quod iſtius ſpiritus
ſcintilla, et virtute careat. Sicut enim animæ noſtræ
vires per ſpiritum noſtrum membris adhibentur; ſic
virtus animæ mundi per ſpiritum quintæ eſſentiæ
ſeorſim dilatatur per *Omnia*. Quare ſpiritus ille ne-
ceſſariò requiritur tanquam medium, quo animæ
cœleſtes corporibus inſint craſſioribus, et illis miri-
ficas dotes largiatur. Spiritus ille quoddam quin-
tum eſt ſuper elementa, et præter elementa ſubſi-
ſtens, et tamen nec anima eſt, nec corpus, ſed excel-
lens inter vtrumq; medium, quòd ſit quaſi non cor-
pus, ſed quaſi jam anima, ſive quaſi non anima, et
quaſi jam corpus, quo medio anima corpori con-
nectatur. Atq; ſpiritus ille, ſiue quinta eſſentia, res
eſt vna à Deo creata, ſubjectum omnis mirabilita-
tis, quæ actu animalis, vegetalis, et mineralis eſt, v-
biq; reperta, à pauciſſimis cognita, à nullis ſuo pro-
prio

prio nomine expressa; sed innumeris figuris, et ænigmatibus velata, sine qua neq; Alchymia, neq; natura possunt suum architectonicũ finem attingere. Attingunt autèm qui corpora præparant, et per aquam solvunt in aquam, vt ex illa aqua imbibant ablutos spiritus; tunc enim ipsi spiritus submergunguntur in corporibus, et corpora in spiritibus, et sic
Dantius. figuntur spiritus firmissima fixione. Hoc autèm vnum memoriæ sæpius commendemus, et ante oculos nostros sempèr ponamus, quòd vnaquæq; res movet ad sui simile; et Omnis natura sui est rapax, et inclinat sempèr ad seipsam, tàm in proprietate, in qua est occulta virtus; quàm in qualitate, in qua est virtus elementalis. Et licèt virtus vtraq; eadem videatur, tamen eadem non est. Non enim (vt priùs diximus) proprietates in rebus occultæ ab elementali natura procedunt, sed cœlitus sunt rebus insitæ, & à spiritu mundi per ipsos stellarum radios nutu Dei proficiscũtur, & à nobis non aliter quàm experientiâ, & conjecturis possunt indagari. Ex quo fit, vt animantia sensibilia virtute spiritus occulti, transmutent cibum suum non in herbam, vel plantam quam comedunt, sed in ipsissimam carnem sensibilem: quia omnis virtus sive rebus insit per naturã, siue per artem, semper mouet ad idem, spiritus ad spiritum, ignis ad ignem, & aqua ad aquam. Sed operanti aliquid ea proprietas semper quærenda est quam novimus hujusmodi rei inesse. Proinde Medici ex cervorum, & vnicornis cornu, ex

ex viperis, serpentibus, & his similibus Medicinas sæpiús excellentissimas conficiunt; quia illa animalia longæua, ad vitam conferunt longævam; & ha-bentia in se virtutem renovativam, conferunt ad corporis nostri renovationem, & juventutis restitutionem. Quare proprietates sunt de essentia rei, & qualis res est, talis rei proprietas: Sed qualitates rerum sunt de composito, & per accidens aliquandò variantur secundum earum complexiones, vt in eodem semper statu non permaneant.

Est occulta rei virtus quæ rem facit esse,
Ast elementa rei qualiter esse dabunt.
Terra melancholicis, Aqua confertur pituitæ,
Aer sanguineis, Ignea vis choleræ.

CAP. 9.

Brevis repetitio totius artis, vbi natura digerit, quod ars subtiliauit, & elementa invicem conversa generant lapidem, alia imperfecta corpora continentem.

EX Philosophorum scriptis, didici (cooperante Dei benedicentis gratia) scribere, quæ scribo, proponere & firmissimè concludere, quæ concludo, Omnia in veritate. Qui verus est, & ipsa veritas, novit, quòd veritatem dixi. Et licèt ni-

hil dictum, quod non dictum sit priùs, tamen ex ſcriptis meis liquidò apparet, quòd nihil in componendo lapide latet, quod non nunc apertè patet. Peto vt mihi ignoſcant benevoli, ſi apertiùs fortaſsè, quàm par erat, ſæpiùs repetendo, & inculcando rei veritatem, rem ipſam acu tetigerim. In gratiam, & eruditionem eorum hoc à me expeditum eſt, vt qui filij ſunt artis, non in tenebris ſemper verſentur, nec in ignotis myſteriorum figuris captivi detineantur. Et licèt aliquandò idem, & ijſdem & diuerſis verbis ſcripſiſſe, & repetijſſe videar, hoc tamen dictum & factũ (datâ operâ) putet bonus, & benevolus lector, vt ita ſe res habeat cum noſtris filijs, quẽadmodum cum illis, qui in eodem ſpeculo diverſimodè tranſverſo, eundem faciei vultum ſæpiùs intuentur, & contemplantur, ne illius obliviſcantur. Nemo autẽ iudicet ex ſcriptis meis poſſe me philoſophorum Lapidem componere. Nomen non arrogo tantum. Scripti veniam quæro, non lapidis gloriã. Sed ſi placeret ſapientiſſimo potentiſſimoq; regi noſtro Iacobo (cujus Majeſtati ſemper ſit benè Amen.) gratiosè philoſophiæ filijs veniã indulgere, non obſtante ſtatuto contra auri multiplicationem edito, tentarent proculdubiò boni viri adhuc ſub ſilentio ſecretiores, an ſcientia eorum reſponderet rei veritati, aut rei veritas ſuperaret ſcientiam. Rerum inveſtigatio jucundiſſima eſt, & in laboratorio ſine tædio experientia. Sed (rebus ſic ſtantibus) benè vixit, qui benè latuit. Vtinam ſophiſtæ fingentes

&

& non facientes, quando metallum aliquod examinatione improbum & fucatum divendunt, vel ipsa morte multandi essent. Veritatis scientiâ gaudent viri boni, nolunt autem praxi & experientiâ suâ eousq; progredi, vt libertatem & vitam, aliorum exponant voluntati.

Sed eò revertamur vnde digressi sumus. A *Nihilo*, non fit transitus ad *Omnia*, nisi per *Aliquid*, nec à nigro ad Citrinum, nisi per albedinem, atq; hoc est quod voluere Philosophi, dicentes, Aurum esse non potest nisi quod priùs fuit argentum.) Natura non facit saltum, neq; enim pervenitur ad extrema nisi per media. Corrumpatur ergò Citrinum, & nigrum fiat, & post nigredinem conspicietis albedinem, & post albedinem summam Citrinitatem. Sic solent philosophi aurum in plumbum, & plumbum in argentum convertere, vt postea argentum in aurum viuacissimum convertatur. Nam sulphur non vrens album ad argentum, per majorem digestionem fit sulphur rubeum ad aurum, quia in Citrinitate est completa digestio, sicut in albedine plumbi nigredinis ablutio, & ablatio. Talem digestionem & maturationem naturaliter invenimus in nobismetipsis: surgentes enim manè videmus vrinam nostram albam, & iudicamus nos non satis dormiuisse; reponimus igitur nos ad dormiendum & accepto somno vrina fit Citrina, sed nullo alio modo nisi per caloris naturalis digestionem. Sequamur naturam, si ars decoquat, digeret natura; *Richardus Anglus.*

si ars subtiliet, perficiet natura; si ars juvet, operabitur natura in maturitatem igne suo naturali. Atq; isto modo in regimine corpora fiunt incorporea, & incorporea, corpora, sed in complemento omnia fiunt vnum corpus, & totum corpus fit spirituale fixum. Quapropter jubet *Raymundus*, vt exuberemus Mercurium cum humore corporis præparati per ingenium naturæ, quia res pręparata dabit nobis rem præparatam; & talis (inquit) sicut fuerit præparatio, talis erit perfectio; & qualis fuerit perfectio, tale ostendit in sua projectione super quodlibet corporum imperfectorum, & super Mercurium vulgarem. Hucvsq; *Raymundus*, breuiter, sed nemo pleniùs, nemo planiùs. Negari certè nō potest, idem accidere metallis, quod eorum accidere potest elementis. Elementa autem invicem mutantur, ergò & metalla mutari possunt. Metalla enim convenientia in materia, quæ est argentum vivum, ostendunt se differre solùm in majore, vel minore decoctione: ex quo fit, vt sulphure non vrente agente ad generationem, ita vt forma auri detur materiæ argenti vivi, ipsum argentum vivum statim transmutetur, virtute talis formæ in splendidissimum, & perfectissimum aurum. Intereà verò non dicimus, quòd Alchymia ipsa producit aurum, sed medicinam quandam producit, quæ argentum vivum subitò coagulat, & perficit in verum solificum, quià in proiectione sua tribuit argento vivo omnes proprietates, passiones, & operationes, quas habet

Lib. de Merc. cap. 5.

perfectissimum

perfectissimum aurum. Iubent ergò philosophi, vt convertamus elementa, & inveniemus, quod quærimus. Quærimus autèm lapidem; convertite elementa, & lapidem convertentem alia corpora invenietis. Sed quo modo convertuntur elementa? respondeo; faciendo humidum, siccum; frigidum, calidum; & fugiens, fixum. Circulatione autem ignis, & aquæ, contrariorum fit amicitia; & post dubiam & difficilem pugnam, fricando manus inter se conveniunt, quandò conterendo coquendo, solvendo, coagulando, sublimando, calcimando, dealbando, & tingendo vnum fiunt, sicut regimen eorum vnum est, vna decoctio, vna coniunctio, atq; vna mundatio, absq; manibus, donèc vnus fiat color, et res vna. In nullis autem contrariarum complexionum qualitatibus acquiescit natura sed semper est in motu, donec in auro, in quo est vltimus appetitus formæ, et materiæ in æquali mixtione, frigiditatis, caliditatis, humiditatis, et siccitatis, possit acquiescere. Sed in alijs metallis non acquiescit natura, sed agit, & patitur secundùm magis, & minùs, & ob eam causam imperfecta, & incompleta in ipsius auri naturam citissimè transmutantur periti artificis ope, cùm ad æqualitatem temperamenti vnà cum auro perducuntur ad æqualitatem elementorum in æquali commixtione, qua elementum terræ claudit elementum aquæ, & elementum aquæ elementum aeris,

ris, & elementum aeris, elementum ignis. Sunt enìm ſecundum prædominantia elementa quatuor complexiones, & in illis quatuor colores: primò in diſſolutione eſt ingredo terrea, in complexione melancholica; tùm poſteà in reductione, albedo aquea in complexione phlegmatica; in fixione Citrinatio aerea, in complexione ſanguinea; in Citrinatione autèm concluditur rubedo ignea, in complexione cholerica. Vel vice verſa, à ſuperiore elemento ignis gradatim ad inferiora poſſumus deſcendere. Rubedo enìm ſolis non eſt aliud niſi intenſa Citrinitas, & Citrinitas ex albo, & rubeo, non eſt aliud niſi abſoluta albedo, & albedo non eſt aliud niſi mundificata nìgredo. Atq; in hac catena aurea fortiter retinentur lapidis noſtri colores proprij ab intrinſeca mixtione, operatione, & digeſtione elementali. Pro adiutorio autèm filiorum artis dico, quòd in ipſa prima præparatione, ſi quis rectè inceperit, & ritè progreſſus fuerit, habebit in lapide *Rebis* facto, ignem devorantem, & citò, imò ſubitò deſtruentem centum ſui generis. Et qui tale quid in præparatione invenerit, quale quid (quæſo) expectet in perfectione, & in proiectione, cùm tandem lapis perficitur? Nonne ex herba vireſcente, præſentire poſſumus, quanta ſit meſſis futura? Nonne conſuetudo, & temporis diuturnitas Miloni vires afferre potuêre, non ſolùm ad vitulum, ſed etiam ad prouectum bovem ſuſtinendum? Vos autèm qui copioſam expectatis meſſem, ve-

ſtim

lim vt accipiatis duos lapides, quos ignis non destruat, lapidem ſcilicet *volatilem*, & lapidem *fixum*, & ſitis ſecuri (ſi ſciatis eorum regimen) quòd demùm apparebit Citrinitas, quæ eſt albi & rubei coniunctio in puriſſimis.

CON-





CONCLVSIO.

De exaltatione lapidis, transformantis imperfecta metallorum corpora in perfectionem, & referentis in resurrectionis die beatum, & gloriosum Sanctorum statum in cœlestibus.



Irum videri non debet, quòd lapis noster transmutet reliqua metallorũ corpora in purissimum, & perfectissimum aurũ. Ille enim in exaltatione sua filius dicitur ignis, ab igne elementorum optimo, & purissimo generatus. Ignis autem iste virtute sua vicissim generat ignem: qualis enim fuit pater, talis quoq; est filius. Sic ab Adamo vno homine, homo, & ab hoc homine Adami filio, omnis homo. Si enim Adami filius patris vices non egisset, omnis humana natura in ipsissimo filio funditus perijsset. Sed filius pater factus, generavit similes patri suo filios infinitos. Sic etiam filius Solis in generatione filiorum suorum pater factus, semper exprimit patrem suum, vultu, gestu, moribus. Est enim filius imago patris, sicut pater typus

est, et exemplar filij. Et quantò propiùs similitudo filij accedit ad patrem, tantò magis propriè filius postea generat, et sibi, et patri suo similem filium. Sed quorsum hæc? Nempè vt per Alchymiam intelligamus, etiam in divinis similitudinem aliam esse vestigij, aliam verò imaginis. Quemadmodùm, enim per imperfectorum metallorum transmutationem, lapidis perfectionem investigamus, & ab effectu quasi per vestigia lapidem agnoscimus potentem, penetrativum, & tingentem; Sic per res creatas à Deo, vitam, victum, & vestitum quærentes, quasi per earum vestigia deum cognoscimus, deum quærimus, & ipsum deum rerum omnium summum creatorem esse, & patrem agnoscimus.
Iob.38.28. Quis enim pater est pluviarum, vel quis generauit roris guttulas? In ipsis sanè tam animalibus, quàm vegetabilibus & mineralibus deum quærimus, & deum invenimus tanquam per vestigia. Est autem in homine, tanquam in creatura rationali, prove consideratur in puris naturalibus similitudo propior et expressior quæ dicitur similitudo imaginis. Assimilatur enim deo, non solùm vt primo enti, in quantum ens, et vt primæ vitæ, in quantum vivens, vt reliquæ assimilantur creaturæ, sed etiam deo, vt summæ sapientiæ, in quantum sapit, et intelligit. Dixit itaq; deus, faciamus hominem ad imaginem nostram. Atq; hæc omnia docet, et ostendit philosophorum lapis in summam præpotentis dei laudem, et gloriam. Primò enim lapis in exaltatione

sua.

sua licèt non faciat reliqua metalla, transmutat tamen, & perficit ea ad imaginem suam. Atq; hæc est similitudo imaginis, sicut homo creatus ad imaginem dei, habet aptitudinem naturalem ad intelligendum, & amandum deum. Secundò imperfectum metallum, lapidis virtute, ad transmutationem est aptũ. Atq; hæc est similitudo bonitatis, sicut homo actu, vel habitu deum cognoscit & amat, licèt adhuc imperfectè, per similitudinem gratiæ. Deniq; imperfectum metallum virtute lapidis perfectionem summam consequitur. Atq; hæc est similitudo gloriæ, sicut homo similitudinem dei adeptus, deum cognoscit, & amat perfectè. Prima similitudo, quoad metalla, est in omnibus metallis, & quoad homines in omnibus hominibus, scilicet, per similitudinem imaginis. Secunda in metallis puris & purgatis, & in hominibus iustis, & virtute prædictis, per similitudinem gratiæ. Tertia in metallis perfectis, & in hominibus beatis per similitudinem gloriæ. O beatam in deo, et propter deum scientiam, quæ manifestè doces et indigitas ea quæ non alitèr nisi per fidem comprehendi possunt! Nullum autem simile est idem. Neq; enim metallum imperfectum transmutatum in perfectum, lapis est, sed lapidis filius. Nec homo ad imaginẽ dei factus, deus est, sed dei filius. Vtraq; filiatio, tam ea in metallis, et per metalla, quàm ea in hominibus, et per hominem Christum, docet in materia lapidis deum esse creatorem, et patrem omnium rerum, et in ipso

lapide, metalla imperfecta in perfecta transformante, Christum Iesum dominum nostrum esse suorum redemptorem, et in lapidis virtute spiritum sanctum esse benedictũ, et benedicentem in rebus omnibus fautorem. Quod autem ad similitudinem gloriæ attinet, de qua nunc præcipuè fit sermo, vt beatum in cœlestibus, et gloriosum sanctorum statum in resurrectionis die pro posse nostro quodam modo nunc, vt tunc, intellectu comprehendamus, In ipsis metallis consideranda sunt tria, quæ nos ad veritatem, et huius mysterij maximi dilucidationẽ ducunt. Primò, In metallis considerandum, cui assimilãtur. Assimilantur enim imperfecta perfectissimo, sicut et nos assimilabimur Christo fratri primogenito, et per eum deo patri. Nam pater adoptat, regeneratq; nos sibi in filios gratiæ mediatè in Christo, per, et propter Christum filium suum vnicum, et in eo, et per eum assimilabimur deo patri
Rom. 8. 28. et sacrosanctæ trinitati. Prędestinauit enim nos imagini conformes fieri filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Itaq; sanctus Paulus Adamum et Christum, tanquam duos oppositos typos proponit. Nam vt Adamo conformes fuimus animâ in peccato, corpore in miseria: sic Christo erimus, animâ, in interna pulchritudine sanctitatis, corpore, in externo fulgore et gloria. Sicut enim gestavimus imaginem terreni, gestabimus etiam imaginem cœlestis. Hanc verò imaginem et externę pulchritudinis, et interni fulgoris refert la-
pis,

pis, dans corpori, adhuc imperfecto perfectionem suam, abstergendo originalem maculam, & perficiendo in corpus pulchrum, & perfectum. Secundò perpendendum, in quibus nos, imaginem cœlestis gestantes, assimilabimur Christo, & deo, scilicet in sanctitate, & fœlicitate, tam in corpore per dotes corporis, quam in anima per dotes animæ. Animæ enim erunt imagines dei in sanctitate, iustitia, puritate, & sapientia; & corpora erunt imagines hominis Christi. Nam conformia e- *Phil.3.21.*
runt corpora nostra glorioso Christi corpori. Expectamus enim salvatorem dominum nostrum Iesum Christum qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, qua possit etiam subijcere sibi omnia. Quis tam à ratione alienus, & aversus à veritate, qui rejiciat lapidem nostrum à mortuis resurgentem, & à *Nihilo* ad *Omnia* tandem pervenientem, demonstrantem etiam nostrorum corporum, post eorum resurrectionem, primò im- *1.Cor.15.42.*
passibilitatem, in incorruptione per florescentiam. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. *Nihil* promouetur ad *Omnia*. Secundò claritatem, in gloria per transparentiam. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. *Nihil* transit in *Omnia*. Tertio agilitatem, in transparentia per penetrationem. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. *Nihil* factum est *Omnia*. Quartò subtilitatem, in penetratione per spiritualem tincturam. Seminatur

corpus animale, surget corpus spirituale. *Nihil* consequitur *Omnia*, Atq; hæc omnia in lapide, & per lapidem nostrum. Atq; hæc omnia in nobis ipsis virtute lapidis nostri angularis, & per Christum. Neq; enim in his est vana consideratio superbæ affectationis Luciferi, dicentis, similis ero altissimo, vel falsæ promissionis, qua deluserit primos parentes, dicentis, eritis sicut dij, cognoscentes bonum & malum. Tertiò quærendum in speculo Alchymię de assimilatione nostra, nempe quo modo, & quousq; assimilabimur Christo. Ipsa enim docet Alchymia in philosophorum lapide perfectiones esse, & communicabiles, & incommunicabiles. Incommunicabiles sunt summæ in lapide perfectiones, simplicitatis, potentiæ, sufficientiæ, infinitatis, essentiæ, æqualitatis, &c. Quas lapis non communicat ipsis metallis: Tunc enim omnia metalla facilè lapides fierent. Communicabiles autem sunt, puritas, claritas, fixatio, bonitas, in quibus in ipsius auri forma, & essentia, exprimitur imago lapidis, sicut filius exprimit imaginem patris. Sed migremus hinc, et ex his perscrutemur, (quantum in nobis est) perfectiones alias in deo communicabiles, alias incommunicabiles. Incommunicabiles sunt simplicitas, infinitas, independentia quoad esse, immutabilitas, æternitas, & quæ ex his consequuntur, omnipræsentia, omniscientia, omnipotentia, omnisufficientia, &c. In his perfectionibus nemo alius refert Deum, nisi qui Deus de Deo, filius

lius Dei vnigenitus, imago patris essentialis, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, scilicet, æqualem infinitate, æternitate, immutabilitate, &c. Aliæ autem sunt divinæ perfectiones communicabiles creaturis pro modulo suo, vt, vita, gloria, immortalitas, potentia, puritas, bonitas, justitia, sanitas, &c. In his Angeli, & beati homines possunt esse, & erunt vivæ, expressæq; imagines Dei. Atq; hac ratione filij Dei similes sunt Deo. Non autem similes similitudine æqualitatis, quam Diabolus in seipso malè affectavit, & primis parentibus falsò promisit: Sed similitudine longo intervallo à divina eminentia distante, similitudine tamen summæ, & supremæ proportionis, quæ potest esse inter Creatorem infinitum, & creaturam finitam. Nam vt speculum ad solem positum inardescit, ita beati spiritus contemplantes (quasi in speculo) gloriam Domini, in eandem imaginem transformantur à gloria in gloriã. Mysterium hoc est magnum, diuo Iohanne teste; Charissimi, nunc sumus filij Dei, & nondum apparuit, quod erimus: scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicut est. Quasi dicat per propinquam, & immediatam contemplationem Dei, conformes, & similes erimus Deo: Et vt Petrus inquit, facti erimus participes divinæ naturæ. Non autem in Identitate essentiæ: hoc enim proprium est Christo, qui vera est imago Dei essentialis, splendor gloriæ, & figura substantiç

Philip.2.6. 2.Cor.3.18. 1.Ioh.3.2. 2.Pet.1.4. Heb.1.3.

ejus,

ejus, respectu ejusdem essentiæ divinæ, quam totam, & integram à patre per æternam generationem sibi communicatam habet. Vnde etiam & perfecta imago Dei est, perfectè implens illud, cujus est imago. Homo autem dicitur ad imaginem potius, quam imago, ad imperfectionem imaginis designandam. Sit ergo nomen filij proprium Christo vnivocè, quia essentialis, & perfecta Dei est imago, nemini conveniens præter ipsum, ne Angelis quidem. Cui enim Angelorum aliquandò dixit? Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Sed vt qui vnigenitus erat, fieret quoq; primogenitus inter multos fratres, placuit Deo patri, vt etiam nos prędestinati, & vocati essemus secundum propositum ejus, qui omnia operatur. Quare dicit Ambrosius, Christus natus est vnicus, sed noluit manere vnus. Nos enim gratiâ Dei, per, & propter Christum divinæ erimus participes naturæ: Non autem (vt priùs dictum est) in identitate essentiæ, sicut Christus, qui Deus est; sed similitudine divinarum qualitatum, & perfectionum, quatenùs filij pro modulo suo, per adoptionem similes esse possint infinitæ, & divinæ naturæ, in puritate, bonitate, sanctitate, justitia, potentia, immortalitate, & gloria. Quæ omnia nobis convenire possunt, & perfectiones sunt in Deo, creaturæ communicabiles, per Christum Iesum Dominum nostrum, cui gloria, laus & honor nunc, & semper in sæcula sæculorum. *Amen.*

Heb. 1. 5.

Ephe. 1. 5.

FINIS.

h (1)

Joannis Pontani, summi Philosophi, epistola, in qua de Lapide quem Philosophorum vocant agitur.

Ego Iohañes Pontanus, multas perlustraui Regiones, vt certum quid de Lapide Philosophorum agnoscerem, & quasi totum Mundum ambiens, Deceptores falsos inueni, & non Philosophos. semper tamen studens, & multipliciter dubitans, veritatem inueni. Sed cum materiam agnoscerem, ducenties erraui, antequam veram materiam, operationem, & practicam inuenißem, Primo materiæ operationes, putrefactiones nouem mensibus cepi, & nihil inueni: etiam in balneo Mariæ per tempus aliquod posui, & similiter erraui. Enimuero in calcinationis igne tribus mensibus posui, & male operatus sum: omnia distillationum & sublimationum genera prout dicunt seu dicere videntur Philosophi, sicut Geber, Archelaus, & alij fere omnes tractaui, & nihil inueni. Deniq; subiectu totius artis Alchimiæ omnibus modis qui excogitandi sunt, & qui fiunt per fimum, balneum, cineres, & alios ignes multiplicis generis, qui tamen in Philosophorum Libris reperiuntur, perficere tentaui, sed nihil boni repperi. Quapropter annis tribus continuis in Philosophorum libris studui; in solo præsertim Hermete cuius verba breuiora totum comprehendunt Lapidem; licet obscure loquatur de superiore & inferiore, de cælo & terra. nostrum igitur instrumentum quod materiam deducit in eße in-
prim=

Geber.
Archelaus.
Hermes.

primo, secundo, et tertio opere, non est ignis balnei, ne=
qz fimi, neque cinerum, nec aliorū ignium quos Philo=
sophi in libris suis posuerunt. Quis igitur ignis ille est
qui totum perficit opus a principio vsqz ad finem?
certe Philosophi eum celauerunt. Sed ego pietate mo=
tus eum vobis declarare, vna cum complemento totius
operis volo. Lapis ergo Philosophorum vnus est, sed
multipliciter nominatur, & antequam agnoscas erit
tibi difficile. Est enim Aqueus, Äereus, Igneus,
Terreus, Phlegmaticus, Colericus, & Melancholicus;
est Sulphureus, & est similiter Argentum viuum, et
habet multas superfluitates, quæ per Deum viuum con=
uertuntur in veram essentiam, mediante igne nostro:
& qui aliquid a subiecto seperat, putans id necessa=
rium esse, is profecto in Philosophia nihil quia su=
perfluum, immundum, turpe, fæculentum, et tota
deniqz substantia subiecti, perficitur in corpus spiri=
tuale fixum, mediante igne nostro. Et hoc sapi=
entes nunquam reuelarunt: propterea pauci ad ar=
tem perueniunt, putantes aliquid tale superfluum,
& immundum. Nunc oportet elicere proprietates
nostri ignis, & an conueniat nostræ materiæ se=
cundum meum quem dixi modum, scilicet vt transmu=
tetur; cum ignis ille non comburat materiam nihil de
materia separet, non segreget partes puras ab impuris
(vt dicunt omnes Philosophi) sed totum subiectum
in puritatem conuertit: non sublimat sicut Geber
Arnol. de villa noua. suas sublimationes facit, similiter & Arnoldus, et
alij de sublimationibus & destillationibus loquentes in
breui tempore perfici. Mineralis est, æqualis est, conti=
nuus est, non vaporat nisi nimium excitetur, de

Sulp=

sulphure participat, aliunde sumitur quam a mate=
ria, omnia diruit, soluit & congelat similiter et conge=
lat & calcinat, et est artificialis ad inueniendum, est
compendium sine sumptu aliquo, saltem paruo: & ille
ignis est cum mediocri ignitione quia cum remisso ig=
ne totum opus perficitur, simulq; omnes debitas
sublimationes facit. Qui Gebrum legerent & Geber.
omnes alios Philosophos, si centum millibus annorū
viuerunt, non comprehenderent, quia per solam & profūdam
cogitationem ignis ille reperitur, tunc vero potest
in libris comprehendi, & non prius. Error igitur istius
artis est non reperire ignem qui totam materiam conue=
rtit in verum Lapidem Philosophorum. Studeas igi=
tur ibi, quia si ego hunc primo inuenissem, ego non
errassem ducenties in practica super materiam: propterea
non mirior si tot et tanti ad opus non peruenerunt, er=
rant, errauerunt, errabunt, eo quod proprium agens
non posuerunt Philosophi, (excepto vno qui Artephius Artephius
nominatur.) sed pro se loquitur: & nisi Artephium legi=
ssem & loqui sensissem, nunquam ad complementum
operis peruenissem. Practica vero haec est. Suma=
et diligenter quam fieri potest teratur contritio=
ne physica, & ad ignem dimittatur, ignisque propor=
tio sciatur, scilicet vt tantummodo excitet materi=
am. & in breui tempore ignis ille absque alia manuum ap=
positione de certo totum opus complebit, Quia putre=
faciet, corrumpet, generabit, & perficiet. et tres faciet
apparere colores principales, Nigrum, Album, et
Rubeum. Et mediante igne nostro multiplicabitur
medicina, si cum cruda coniungatur materia nō
solum in quantitate, sed etiam in virtute. Totis
igit

igitur viribus tuum ignem inquirere scias, & peruenies; quia totum facit opus, & est clauis omniū Philosophorum quam nunquam reuelauerunt. Sed si bene et profunde super prædicta de proprietatibus ignis cogitaueris, scies, & non aliter. Pietate ego motus hæc scripsi, sed vt satisfaciam, ignis non transmutatur cum materia, quia non [redacted] est de materia, vt supra dixi. Hæc igitur dicere volui, prudentesque admonere, ne pecunias suas inutiliter consumant, sed sciant quid inquirere debeant: eo modo ad artis veritatem peruenient et non aliter. Vale. BM

Hæ duodecem sequentes ptinent ad perfectam compositionem lapidis Philosophorum et vocantur duodecem ianua Georgij Riplei.

1. Calcinatio. 2. Dissolutio. 3. Seperatio.
4. Coniunctio. 5. Putrifactio. 6. Congelatio.
7 Cibatio. 8 Sublimatio. 9. Fermentatio.
10 Exaltatio. 11. Multiplicatio. 12. Proiectio.

The Redd man, and his white wife
are ioyned togeather through the Spirite of life.

Cœlum Philosophorum, in quo Maiesteriū perfectū &c. Henrico Knunrahlips Auctore.

